DE

ROMANORUM CENSURA SCENICA.

ACCEDUNT

VARIAE DE DIDASCALIIS TERENTIANIS QUAESTIONES PARTIM CHRONOLOGICAE PARTIM CRITICAE.

SCRIPSIT

IACOBUS ALOYSIUS BECKER

PHILOSOPHIAE DOCTOR

IN GYMNASII MOGONTIACENSIS CLASSIBUS SUPERIORIBUS LINGUAE GRAECAE ET LATINAE PRAECEPTOR.

(Ex programm. Gymnas. Mogont. separatim typis descript.)

MOGONTIACI

TYPIS OFFICINAE AULICAE THEODORI A ZABERN

A. M. DCCC. LII.

VICTOR A ZABERN VENUMDAT.

FRIDERICO · OSANNO

RECTORI · ACADEMIAE · LVDOVICIANAE · GISSENSIS · MAGNIFICO

REL.

VIRO · ILLVSTRISSIMO

VT · PRAECLARA · ERVDITIONE · ATQVE · DOCTRINA

ITA · EXIMIIS · ANIMI · VIRTVTIBVS · ORNATO

PRAECEPTORI · DVLCISSIMO

STVDIORVM · ACADEMICORVM · DVCI · VNICO

HAS · OTI · LITERATI · PRIMITIAS

MODESTAS · EGREGIAE · DISCIPLINAE · ALVMNAS

SVMMAE · PIETATIS · TESTES

INEXSTINCTAE · MEMORIAE · GRATISSIMAE · SPONSORES

D · D · D ·

AVCTOR · VENERABVNDVS

FRIDERICO · OSANNO

RECTORI · ACADEMIAE · LVDOVICIANAE · GISSENSIS · MAGNIFICO

REL.

VIRO · ILLVSTRISSIMO

VT · PRAECLARA · ERVDITIONE · ATQVE · DOCTRINA

ITA · EXIMIIS · ANIMI · VIRTVTIBVS · ORNATO

PRAECEPTORI · DVLCISSIMO

STVDIORVM · ACADEMICORVM · DVCI · VNICO

HAS · OTI · LITERATI · PRIMITIAS

MODESTAS · EGREGIAE · DISCIPLINAE · ALVMNAS

SVMMAE · PIETATIS · TESTES

INEXSTINCTAE · MEMORIAE · GRATISSIMAE · SPONSORES

D · D · D ·

AVCTOR · VENERABVNDVS

P. Terentii Andriae Titulus.

ACTA LVDIS MEGALENSIBVS M. FVLVIO M'. GLABRIONE AEDILIBVS CVRVLIBVS. EGERVNT L. AMBIVIVS TVRPIO L. ATILIVS PRAENESTINVS. MODOS FECIT FLACCVS CLAVDI L. TIBIIS PARIBVS DEXTRIS ET SINISTRIS. ET EST TOTA GRAECA. EDITA M. MARCELLO C. SVLPICIO COSS.

Ut hanc Andriae Terentianae Didascaliam post tot operas a viris doctis in ea collocatas, priusquam propositum meum attingerem, hic denuo recenserem recensitamque praemitterem, praecipue vero difficillimum illud, quomodo tollenda sit quae ex memoria in Didascalia nostra de anno actionis Andriae et ab Hieronymo in Chron. Euseb. Olymp. 150, 2. de anno mortis Caecilii Statii, huius fabulae censoris, prodita efficitur inter primam quidem actionem, censuram censorisque mortem temporis discrepantia, in quaestionem revocarem: non solum communi vinculo, quo id ipsum et quod inprimis mihi proposui ita inter se continentur, ut alterum ex altero quasi pendere videretur, sed etiam multis aliis iisque satis gravibus causis permotus sum.

Etenim tum in hoc tum in ceteris comoediarum Terentianarum Titulis falso interponi solet coni. *et* inter Aedilium, Actorum et Consulum nomina, quippe quae Terentii et Donati Codicum atque Editionum principum auctoritate consensuque maiore sine copulativis efferenda sint inscriptionum aliorumque eiusmodi monumentorum more, quo vel ipso etiam *Claudi* pro *Claudii* exarare malui. Cf. Bentl. ad Terent. Andr. 2, 1, 20. Unus Bentleius sibi constat in hac particula e Didascaliis eiicienda, praeterquam quod in nostra inter Aedilium nomina eam inseruit.

Neque minus calamo errare videntur, qui in nomine Atilii *t* geminant, quod praeter alia documenta certissima ostendit vel versus Martialis 9, 86:

Languidior noster si quando est Paulus, Atili.

Haec enim literae geminatio neque in numis (cf. Eckh. D. N. V. T. 5, p. 146) neque in aliis monumentis antiquis tantum non omnibus reperitur. Cf. Grut. Ind. nom. propr. Accedit quod Atilii dicti sunt ab Atiis, ut alia huiusmodi gentilia orta sunt ab aliis (cf. Sigon. de Nom. Rom. s. v.),

atque gens Atia Latina et genus et nomen duxit ab Atye Troiano. Unde apparet, quomodo nomen Atiorum scribendum sit, qua de re Pierius nonnullos antiquos Codd. sive Vol. Longi sententiam secutus bene refutatus est ab Heinsio probante Heynio aliisque; et adiuvatur haec scribendi ratio notissimis illis versibus Vergil. Aen. 5, 568 sq. Cf. Serv. ad h. l. et Dausq. in Orthogr. Idem scripturae usus melioris quidem aetatis Romanae in universum fuisse neque omnino altera consuetudo in optimo quoque auctorum Codice praevaluisse videtur, v. c., ut ex multis unum afferam, Cod. Palimpsest. Instit. Gaii. Ceterum ex scripturae inconstantia et Marii Victorini p. 2457 praecepto C. L. Schneiderus in Gr. L. II., p. 444, longius progressus quam Manutius in Orthogr., qui contra ibidem ipse a se dissentit, nomen quidem Atilii una *t* scribendum esse iudicans, male coniicit, duas fuisse Atiorum gentes, Atiam et *Attiam*. Namque scribendi vicissitudo partim priorum temporum in his rebus fluctuantium errori, partim posteriorum pravae consuetudini literas *t*, *l* rel. geminandi tribuenda est. Sane quidem exstiterunt duae gentes Atiae, altera patricia ab Atye oriunda, altera plebeia, cui cognomina Vari, Pauli, Balbi erant, sicut etiam ab Atiis discernendi sunt Accii, ad quos multi viri illustres inde ab Accio Navio pertinent, clari illi poetae, orator, pictor, sed horum nomen incorruptum scribendum est *Accius*, illius autem utriusque gentis *Atius*, et *Attius* depravatum videtur perinde atque *Actus* et *Actius*, quemadmodum idem fere accidit in *Natta*, *Nacca* et *Nacta* (cf. Forcell. Lexic. s. v. *Nacca*), et in Accio Navio apud Ciceronem, Livium, Plinium, Valerium Maximum, ubi libri veteres variant *Attus*, *Attius*, *Accius* et *Actius*. Cf. Forcell. Lexic. s. v. *Accius*. Itaque quum omnino libri antiqui in nominibus propriis, siquidem satis est rationis contrariae neque quod rarum est optimae sunt notae, maxime vero Livii Codices, hac ipsa in re prope nihil auctoritatis habeant, neque ipsi quidem illorum scriptorum Mss. in eo nomine exarando sibi constent, immo farraginem inaequabilem effundant, alia autem eius rei monumenta fide digna desiderentur atque *Atius* et *Accius* certa esse nomina Romana videantur: iam *Attus* non minus quam *Attius* et *Actius* a Navio removendum esse neque optionem dari arbitror nisi inter *Atius* et *Accius*, quorum nominum utrum Navii fuerit, nonnihil quidem dubii relinquitur, sed augurem non ex Atia gente illa Troiana s. Latina patricia nec genitum nec denominatum (ex Atia plebeia plane non potuit) et nomen Accii genuinum esse, id ut multo ducatur probabilius, admodum suadent rationes expeditae. Verumtamen quae excepto nomine Atilii ab hoc loco aliena sunt, ea quasi per transennam dicta accipe, quum multum absit ut de tota horum nominum causa perquam complicata et difficillima uno velut ictu quidquam ad liquidum me perduxisse temere credam. Inter varios variis locis huius rei iudices laudasse me satis habeas A. Mai Scriptt. Nov. Coll. VI. P. II. p. 129 sqq.

Tum vero quod post *Claudi* foedissimum illud *filius*, a libris manu scriptis atque Edd. Vett. cunctis fere suffragiis e ceteris quidem Terentii comoediarum Didascaliis repudiatum, in Edd. nostris addi solet, id nominum Romanorum rationi atque eorum, qui apud Romanos artes scenicas exercebant, et origini et conditioni adversatur. Cf. quae Muretus praeclare de ea re in Scholiis

in Terentium dixit. Is autem, tametsi vulnus vidit, tamen non sanavit. Et profecto mirum videtur quod Fr. [illegible] in Bibl. Crit. II., T. 2, vitia a Perleto repetita in Titulo Andriae correcturus illud intactum reliquit. Quodsi Th. Benfeius in V. germ. Ter. Ann. ad Tit. Andriae putat, Flacci nostri patrem fuisse Claudii patricii libertum, is esse non potuit; alioquin enim lege latina in Titulo omnino dicendum erat: *Flaccus Claudi liberti filius*, ut Claudius patricius a Claudio liberto distingueretur; nam Claudii filius Claudii liberti filius esse non potest, sed Claudii patricii est. In nonnullis Praefationibus Donatus, quamquam et ipse auctoris manum non reddit, tamen saltim in re graviore non peccat, quum, quod ipsum vitii tollendi studium prodit, simpliciter, per se non vitiose et ita quidem rectius quam Didascaliae nostrae scribat *Flaccus Claudius* pro *Flaccus Claudi filius*; nam sane Claudius erat Flaccus noster lege manumissionis, qua liberti nomen et praenomen domini accipiebant. Recte autem Benfeius monuit, ellipsin v. *libert.* non fuisse in usu.

Quam facile vero aut ex ultima litera v. CLAVDI sive potius CLAVDII, quae forma in compluribus Codd. exstat, prima litera v. libert., sc. compend. L., aut si mavis, ex proximi vocabuli TIBIIS primis literis compend. LIB. eruitur. Utrumque si facere licet, et equidem per antiquae scripturae rationem quum licere tum alterutrum opus esse existimo, quanquam illud propter maiorem simplicitatem et faciliorem aliisque certe exemplis probabilem permutationem literarum I et L praefero: ut in nostra, ita in ceteris Terentii fabularum Didascaliis quinque vel CLAVDI L. vel CLAVDI LIB. in posterum scribendum erit, unde demum consequimur quod semper quidem credebatur, Flaccum modulatorem revera fuisse Claudii patricii libertum, non tamen, id quod nunc quidem restituta re paene aequo iure censere poteris, sed ob expeditam rationem non censebis, filium Claudii cuiusdam, qui fuerit Claudii patricii libertus, ut emendandum esse tibi videatur: FLACCVS CLAVDI L. (LIB.) FILIVS. Indidem simul patet, quare librarius siglo L. cum CLAVDI conglutinato sive notis LIB. ante TIB— omissis FILIVS intulerit et commentum in unum Codicem illatum a multis propagatum sit. Denique, ut hoc adiiciam, inter omnes constat, veteres in libris, praecipue in inscriptionibus v. *libert.* non tantum perscribere, verum etiam vel scripturae compendio LIB. vel una nota L., quamquam hoc rarius factum esse videtur, saltem rarius invenitur, tam calamo exarare quam lapidibus incidere consuevisse. Quibus rationibus ductus in Titulum recipere non dubitavi.

Sed haec, si quid in literis leve est, inter leviora numero. Sunt enim graviora spectanda, quae quidem quo graviora esse cognovi, eo magis miror, a nemine adhuc animadversa esse aut perquisita. Primum enim non modo duae Terentii Editiones Venetae [1]) in Praefatione Donati

---

1) Venetas dico, quae in Biblioth. Academiae Gissensis adservantur quibusque utendi mihi copia erat, quum Gissae commorabar literarum studiis academicis operam daturus. Utraque est primae Edd. Terentt. aetatis (sec. XV.) et archetypa, fol., altera a. MCCCCLXXIX, altera a. MCCCCLXXXXVIII; et illa quidem continet Terentium cum Donati in eius comoedias quinque atque Io. Calpurnii in Heautontimorumenon commentariis, haec quum eundem cum iisdem commentariis tum etiam Lucanum cum commentario. Idem fere de iis valere videtur, quod Muretus de sua, a. MCCCCLXXVI Venetiis edita atque in Scholiis

ad Andriam et in huius fabulae Didascalia, sed Codices quoque apud Lindenbruchium duobus Aedilibus Curulibus adiungunt: *Q. Minucio* [2]) *Valerio.* Deinde quod ad L. Ambivium Turpionem comoedum attinet, in Mss. pariter atque in Edd. Ven. et procul dubio etiam in ceteris Edd. Vett. in Praefatione in Adelphos exhibet Donatus: *Agentibus L. Ambivio et L. Turpione* [3]), et diserte subiicit: qui cum *suis gregibus* etiam tum personati *agebant*; idemque in Comment. ad Hecyr. Prol. I., 1. dicit: Virtute *actorum L. Ambivii et L. Turpionis* commendata est (Hecyra). Quid quod et Terentii Codices et Edd. Ven. et, ut videtur, item reliquae omnes Edd. Vett. principes in Adelphorum Titulo L. Atilium Praenestinum et Minucium Prothymum [4]), quos in omnibus quoque Editionibus nostris ut actores Adelphis inscriptos legimus, fabulam egisse tradunt contra Donatum. Tum quod ad Atilium spectat, Donatus et in Codd. et in Edd. Vett. offert: L. *Cassius* Atilius. [5]) Denique notiores quidam illae, sed maxime memorabiles et quae accuratius disquirantur dignissimae dissensiones inter plerosque libros Mss. ac Donatum, quales e. c. reperiuntur in Didascalia Eunuchi, ubi praeter alios optimus Cod. Bemb. pro Ludis Megalensibus: habet Ludis *Romanis*; pro L. Postumio [6]) Albino, L. Cornelio Merula Aedilibus Curulibus: M. Iunio, L. Iulio Aed. Cur.; et Donatus in Ed. pr. a. 1470 in Praef. ad Eunuch. pro L. Atilio Praenestino, quem Didascalia praebet, prodit alium illum histrionem principem, modo nomen corruptum corrigas, L. *Minucium Prothymum*; quin etiam in aliis Edd. antiquis pro eodem actore Atilio: L. *Numidium Postumium.* Ac praeterea aliae sunt diversitates profecto non tam leviter reiiciendae. Quas quidem ad res notatu dignissimas et si quis diligentius indagaverit, fructu in historiam tum magistratuum tum rei scenicae atque gentium apud Romanos et Latinos redundaturo haud vacuas tantummodo tetigisse nunc contentus et partim quidem

---

suis ad Terentium saepe in testimonium adducta, indicavit: „Qui quidem liber etsi, ut illa erant tempora, mendis innumerabilibus scatet, tamen ita multa, ita praeclara veteris scripturae vestigia retinet, incredibile ut mihi auxilium tulerit ad locos perplurimos corrigendos."

2) Quod ad hoc nomen semel monitum velim, ab his Venetis aliisque exemplaribus et scriptis et editis exhiberi quidem, quod correxi, Minutius pro Minucius, contra rationem orthographicam vix dubitatam.

3) Cf. Tac. Dial. de Oratt. c. 20, ubi Cod. Farn. teste Lipsio, Cod. Neap. et Edd. Vett. cum Aldina suppeditant: aut Roscii aut Turpionis *aut* Ambivii.

4) Ita, sc. y, non Prothimus, aut depravatum illud Prothonius, nomen scribere non dubito neminemque puto mecem esse dissensurum, qui eius etymon respexerit. Eadem scriptura confirmatur etiam lapide apud Murator. 1757, 8, neque repugnare videtur inscriptio apud Fabrett. p. 178. n. 364, neque alia a Grutero p. 931 oblata, quanquam Prothum. insculptum est, quod haud insolitae literarum y et u permutationi tribuendum esse videtur. Cf. Bentl. ad Hor. Ep. I. 15, 5 et Osann. Anall. critt. p. 12. Additamenti nomine memorare attinet, Schopenum, V. Cl., in Specim. Emendat. in Donatum in Mus. Rhenan. I. fasc. 6. p. 155, quod postea ad manum habui, duabus ex illis inscriptionibus laudatis idem sentire, etsi vir criticus de Donato meritissimus sine idonea causa, ut opinor, in dubio versatur.

5) Ceterum est, ubi in Edd. Ven. atque a Donato L. Atil. *Latinus* Praenest. datur.

6) Verbo moneo, Edd. Ven. in scriptione huius nominis non aspirata, quam vel recta derivatio postulat, cum numis congruere et lapidibus, quorum longe plurimi et antiquissimi quique, nec procul a Roma sculpti nullam habent adspirationem. Cf. Forcell. s. v.

infra suo loco tractaturus, ex promissis in huius libelli inscriptione factis ad aliam eamque maximam Didascaliae nostrae difficultatem solvendam transeo, quae tot viros criticos inde a Mureto, inter hos etiam Fr. Aug. Wolfium, occupavit. Agitur enim de componenda quae inter Tituli nostri et Hieronymi testimonia est repugnantia sive de anno, quo actam esse Andriam Didascalia perhibet, cum anno mortis Caecilii Statii, qui huius fabulae Terentianae, priusquam in scena ederetur, censuram fecerit, conciliando. Quam quidem rem cum quaestione nostra, quae comoediarum apud Romanos censurae a nemine adhuc proprie et singulatim investigatae natura et ratio fuerit, quod inter se connexae et aptae sunt, uno velut tenore pertractare iuvat.

Didascalia nostra testatur, Terentii Andriam in pulpito dictam esse M. Claudio Marcello, C. Sulpicio Gallo Coss., i. e., ex Catoniana temporum ratione a. U. c. 587, cf. Liv. 45, 44, Cic. Off. 1, 6, Cato M. 16 et Pigh. Annall. T. II, p. 388, Ernest. Clav. v. Sulpic. Contra vero alii, inter quos inprimis Iac. Gronovius ad A. Gell. N. A. 17, 21 fin., quam recentiores sequuntur, neque ex Catoniana neque ex Varroniana, sed uno anno ab utraque perperam distante temporis computatione calculos ita subducunt, ut Marcelli et Galli consulatum in annum U. c. 588 incidere statuant. Atqui Terentii Vita Suetoniana, quam pro auctore incerto porro dicere liceat, c. 2., narrat:

„*Scripsit* (Terentius) *comoedias sex; ex quibus primam Andriam quum Aedilibus daret, iussus ante Caecilio recitare. Ad coenantem quum venisset, dictus est initium quidem fabulae, quod erat contemtiore vestitu, subsellio iuxta lectulum residens legisse; post paucos vero versus invitatus, ut accumberet, coenasse una; deinde cetera percurrisse non sine magna Caecilii admiratione.*“

Hinc apparet, iussu Aedilium (sc. Curulium) Andriam suam Terentium recitasse Caecilio Statio, poetae comico, qui magna tunc Romae valebat auctoritate et gratia. Et vero Andriae censorem illum ab Aedilibus constitutum Caecilium Statium fuisse, quanquam F. A. Wolfius et Th. Benfeius modo l. cum Pighio, G. I. Vossio et Ernestio potissimum ratione chronologica commoti aliter censent, nihil causae satis idoneae video quod dubitemus.

De temporis quidem repugnantia quid sentiendum sit infra expositurus, primum quod Benfeius arbitratur, illud Suetonii testimonium, quamvis ab Hieronymo quoque in Chronico Eusebiano reddatur, nihil nisi fictam fabulam esse, equidem nequaquam probare me posse profiteor. Id enim, ut omittam, Hieronymum idem confirmare, non sine temeritate quadam dici et veri maxime esse dissimile, vel inde perspicitur, quod ipsum rei caput primis orationis verbis a Suetonio satis definite narratur et tum demum sane considerate apertaeque distinctionis causa narratio pergit: *Ad coenantem quum venisset,* d i c t u s e s t *initium quidem fabulae etc.*, neque *dicitur,* sed *dictus est,* igitur non *nunc fama traditur*, sed *tum fama fuit;* quare Hieronymi narratio paulo post afferenda, rebus minoris momenti relictis, tantum rem primariam refert ut certam, et praecise dicit: *Caecilio multum se miranti legit.* Qui ita narrant auctores, fabulas non narrant neque indigni sunt quibus fides habeatur. Huc vero si accedit quod, ut infra

declarabitur, tertius eiusdem rei testis est Donatus in Praefat. ad Andriam, omnis suspicio removenda et alia ad causam expediendam via ingredienda est, quo periculo infra faciendo etiam ea quae Vir Cl. tanquam in fabulae Aedilibus emendae ratione posita colligit, et quod incredibile et quod fieri non potuisse ipsi videatur, sponte diluentur.

Deinde quamvis omnes libri scripti et Editiones principes Terentii cum Donati Commentariis Vitam poetae continentes sine ulla scripturae discrepantia in Suetonii testimonio supra allato, pro *Caecilio* et *Caecilii, Caerio* et *Caerii* [7]) offerant, tamen male dispersum est mendum atque sine controversia *Caecilius* restituendus cum Mureto [8]) egregie adiuto ab Hieronymo, qui in Chron. Euseb. Olymp. 155, 3, haud dubie aut ex Suetonio aut e Donati Compendio aut ex ipso Eusebio tradit: *P. Terentius Carthaginiensis, Comoediarum scriptor, ob ingenium et formam libertate donatus, in Arcadia moritur; qui primam Andriam, antequam Aedilibus venderet, Caecilio multum se miranti legit.*

Apparet igitur ex his verbis Hieronymi, testis in ea re locupletissimi, fabulae censorem fuisse Caecilium, non nescio quem Caerium vel Cerium. Huc accedit, ut Osannus, Vir Cl., Anall. critt. p. 143 monuit, facillima exemplisque confirmata nominis *Caecilii* cum nom. *Caelii* et *Coelii* permutatio, qua calamo currente syllaba *ci* omitti solebat. Luculenta ad rem nostram comprobandam huiusmodi exempla praeter ea, quae ab Osanno in medium prolata sunt, suppetunt ex Q. Asconio Pediano ad Cic. Orat. p. Red. in Sen. c. 9 et pro Mil. c. 4, ubi L. Caecilius, praetor P. Lentulo Spinthere Cos., *Caelius* audit. Transitus autem e nom. *Caelii* in nom. *Caerii* levissimus videbitur huius rei peritissimo cuique. Et quam eximie explicatur tibi eam rationem probanti ipsa nominis corrupti scriptura; hoc enim apud Suetonium et Asconium Pedianum exaratum est diphthongo *ae*, certe non aliam ob causam quam quod e nom. *Caecilii* ortum est, alioquim sine dubio scriptum esset: *Coelius*. Nam nulla apud Romanos fuit gens Caeliorum, sed tantummodo Coeliorum, ut qui *Caelius* pro *Coelius* scribunt, falli videantur, propterea quod vel non habita etymi ratione in omnibus fere numis et marmoribus aeque ac veteribus in libris, ubi gentis illius nomen effertur, diphth. *oe* exaratur. Cf. A. Schott in Rosin. Antiqq. Rom. p. 882 sqq. Itaque inde efficitur, id quod etiam ex argumento firmissimo infra proferendo efficietur, quam perperam alii Andriae censuram ipsi Aedili Curuli, qui in comoediae nostrae Titulo nominatur, M'. Acilio Glabrioni, tribuentes, apud Suetonium in corrupto illo *Caerius* videant *Acilius,* quam in sententiam adeo F. A. Wolfius inclinavit. Sed tamen, quum vero propius abesse profiteatur, censorem illum fuisse ab Aedilibus delectum, quam alterum Aedilem id munus ipsum exercuisse, vir sagacissimus probe sensisse videtur repugnantiam, qua unus idemque Aedilis Terentium ad cen-

---

7) Edd. Ven.: *Cerio* et *Cerii.*

8) Quod viros doctos latere videtur, eandem nominis depravati emendationem iam ante Muretum excogitavit Lil. Greg. Gyraldus de Poet. Hist. Dialog. VIII, p. 417 C.

torem, cui fabulam recitaret, se conferre iussisset, nihilo minus simul ipse censor fuisset. Neque si Aedilis ille fuisset censor, inusitato ad virum nuncupandum nomine gentilicio *Acilii*, sed cognomine *Glabrionis* a Tranquillo, Hieronymo ac Donato appellaretur.

Quodsi forte Wolfius de hoc Aedilium Curulium negotio sive publico sive privato, i. e., privatim in suam rem ante fabulam aliquam agendam ipsis administrando, dubitabat, sane erat quod dubitaret. Namque alterum revera non fuisse, alterum non facile ab ipsis fieri potuisse videtur. Primum enim criticam censurae provinciam non ipsorum Aedilium fuisse, immo ab iis ad arbitrium delatam esse doctis existimatoribus idque non solis poetis, illo ipso Suetonii testimonio evincitur. Praeterea autem argumento est aliud indicium, quod adhuc ex ea quidem parte a nemine non praetermissum ipse Terentius Donatusque nobis servarunt. Scribit enim Terentius Hecyr. Prolog. II., 47 sqq.

Mea caúsa causam [9]) *accípite et date siléntium,*
Ut lúbeat scribere áliis [10]) *mihique ut díscere*
Novás expediat pósthac [11]), *pretio emptás meo.*

Iam quid sit *pretio emptas meo*, explicat Donatus:

Pretio emptas meo] *Aestimatione a me facta, quantum Aediles darent, et proinde me periclitante, si abiecta fabula a me pretium, quod poetae numeraverint, repetant: ergo meo a me* f a c t o,

---

9) Pronomen *hanc* post *causam*, a Donato in Codd. atque Edd. Vett. atque ab omnibus Terentii Mss. praeter unum Bembinum, cui vero Donatus, siquidem ostendi nequit interpolatio, praestat auctoritate, comprobatum, a Faerno autem, Bentleio aliisque, ut metrum staret, eiectum, meo quidem iudicio nequaquam esset repudiandum, dummodo versus flueret. Sane proscriptionis causa nulla foret et cum Ant. Goveano I. C. inversam verborum collocationem, qua utique nihil facilius a librariis fieri potuit, accipere, idcirco *silentium date* loco *date silentium* transponere liberet, nisi omnino inversionis ratio aegre admittenda esset et proximus senarius, qui iam a *date* inciperet, durius et Plautine quidem, sed non Terentiane incederet. At in alia re esse mihi videtur nodus alias solvendus.

10) Bentleii omni prorsus auctoritate graviore destituti lectionem *alias* pro *aliis*, quod vel concinnitas utriusque sententiae exigit, non esse tolerandam putamus. Namque in aperto est, errare virum criticum, siquidem similes sententias in Terentii Prologis obvias aut non simul ad poetam referri posse, quum contra ad eum potissimum referri debeant exemplisque ab eo adductis opponere liceat Eunuch. Prolog. 43 et Heaut. Prolog. 43, aut non ad unum Terentium ex ipsius poetae mente referendas esse opinetur, nam cf. Eunuch. Prolog. 35, ubi adeo pro *aliis* Lib. Bembin. *huic* interpretationis causa suppeditat, et Heaut. Prolog. 29 sqq.

11) Quem in errorem recentiores Terentii editores lapsos video omnes, non interpungendum est ante sed pone *posthac*, quippe quod et Donato, qui quidem ad *coniuncta* verba: *Novas expediat posthac*] annotationem scripserit propriam, et iusto ipsius loci sensu iubente cum utraque sententia proxime praecedente, non cum *pretio emptas meo* copulandum sit. Cf. Donat. ad h. l. Altera enim ratione *posthac* omnino inane est, altera autem quum positione tum significatione grave, ut non ita dissimile in Andr. Prolog. 26: *Posthac quas faciet de integro comoedias.*

a me statuto. Nam quomodo alibi [12]) *dixit: Postquam — Aediles emerunt. Et bene, ut sequatur populus iudicium eius, qui aestimare vere fabulas potuerit.* [13])

Habes cum his praeclaris et, si quid aliud, maxime memorabilibus Donati verbis simul apertam viam non solum ad Terentium recte intelligendum, verum etiam ad censuram scenicam continuo perscrutandam. Is enim, qui Prologum Hecyrae recitavit, L. Ambivius Turpio est, qui, ut ipse dicit Hecyr. Prolog. II. init., tum senex erat atque iam multas Caecilii aliorumque comicorum fabulas ingenti cum plausu egerat adolescentior:

Novás qui exactas féci ut inveteráscerent.

Quin etiam in eodem illo Hecyrae Prologo in scena publica apud universum populum praedicare potuit, Caecilium Statium, qui in clarissimis Romanorum comicis est, se *restituisse in locum;* ac palam *sua auctoritate* gloriatus est. Is ipse omnium fabularum Terentianarum actor primarius fuit (cf. Terent. Didascall. et Donat.) idemque longe praestantissimus et maxima ingenii, artis musicae omnisque *doctrinae scenicae fama insignis.* Cf. Tac. Dial. de Oratt. c. 20. et Symmach. Epp. I, 25 et X, 2. Tum etiam memineris Prologorum Terentii et Commentariorum Donati, et Calpurnii in Heautontimorumenon, ubi is certe non e suo, sed quod vero proximum est, e Donato, qua de re infra dicemus, de Ambivio annotat ad Prol. 48: *Per haec verba Terentius demonstrat, quam gravis auctor sit, qui suas comoedias probet. Sic Horatius:* — iam sequitur Horatii locus paulo post c. At vero non solus Ambivius, sed fere omnes, quos novimus, gregum histrionalium principes, quorum plures eodem tempore Romae esse solebant (cf. Heaut. Prolog. 43 sqq.), ut L. Atilius Praenestinus (cf. Didascall. Terent. et Donat.) aliique comoedi tragoedique, inter quos Aesopus ille et Roscius, tanta ingenii artisque excellentia erant atque existimatione, ut Horatius Ep. II, 1, 82. alterum *gravem*, *doctum* alterum appellet et Symmachus Epp. I, 25. actorum famam cum poetarum gloria comparet ac propemodum exaequet his verbis: *Eapropter in comoediis summatem quidem gloriam scriptores tulerunt; Roscio tamen atque Ambivio ceterisque actoribus fama non defuit.* Cf. Cic. ad Fam. VII, 1. IX, 22, Cato M. 14., pro Arch. 8., pro Sest. 56, Tusc. 4, 25., de Divin. 1, 36., de Nat. D. 1, 28., de Or. 1, 28. 2, 57. 3, 59; Quintil. Inst. Or. XI, 3; Festus s. v. Roscius, alii Vett. Gramm. Ne P. Pollionis quidem laudem tam modicam, quam Plautus Bacchid. 2, 2, 37 ed. Ritsch. elevare videtur, sed comica, ut puto, deminutione vel, si mavis, post actas demum Bacchides pro dubia fortuna scenica crescere coepit, fuisse tradit Symmachus Epp. X, 2: *Non idem honor in pronunciandis fabulis P. Pollioni qui Ambivio fuit; neque par Aesopo et Roscio fama processit.*

---

12) Eunuch. Prolog. 20.

13) Edd. Ven.: *Cui aestimare vere fabulas onus posuerit*, quae non modo propter malam latinitatem a Donato alienam, sed etiam quod *vere* ab ea sententia, si qua inest, plane abhorret, vitiosa esse patet; quocirca emendanda esse videntur: *Qui* aestimare vere fabulas *unus potuerit. Unus* autem, quod a Donato adhuc aberat, quum sit aptissimum, genuinum esse eique reddendum iudico, qualiscunque est Venetarum auctoritas.

Profecto igitur nemo negabit, id quod vel ipsa res deceat, si quem alium, certe tales fabularum actores non minore indicio critico in comoediis exercendo atque auctoritate non minus fere gravi quam Andriae censorem illum Caecilium et reliquos fabularum scriptores valuisse idque adeo, ut Donatus dicere potuerit, Hecyram vere aestimare Ambivium (unum) potuisse. Donatum autem non temere de suo, sed e rerum scenicarum memoria quae prodiderit sumpsisse, vel inde satis perspicitur, quod in loco Terentii sane subobscuro non ita levem, ut Nannius Miscell. L. 11, Pareus, alii, qui ibi fabulam a poeta Aedilibus venditam rursus ab his ipsis histriones emisse vident, sed profundiorem sensum latere ostendit. Atqui insignem, quem Hieronymus discipulus eius vocat in Chron. Euseb. Olymp. 284., et publicum in urbe Roma rhetoricae et grammaticae praeceptorem, singularis de Comoedia et Tragoedia Commentationis ac Praefationum in Terentii fabulas scriptorem, doctissimum Didascaliarum comoediarumque Terentianarum interpretem, cuius aetate Terentii aliorumque comicorum fabulae certe non sine multis et artis et consuetudinis scenicae reliquiis ex antiquioribus temporibus traditis in Theatris agebantur (cf. Lessing Opp. Tom. 14. p. 21 sqq. ed. Vindob. 1801), qui quum in Commentariis citaverit, sane pernoverat Varronis auctoris illius locupletissimi de rebus scenicis scripta, Donatum, inquam, literarum antiquarum adeo studiosum, ut unum Plautum tervicies in Scholiis suis laudaverit, et graecorum comicorum, quos Terentius imitatus est, Menandri, Apollodori, Diphili, tam subtiliter intelligentem, has res ignorasse neque recte Prologi nostri locum interpretatum esse, et quae in illa annotatione de censore censuraeque quae inde colligitur ratione protulerit, ea esse falsa, quis est qui credat? Neque quidquam vestigii deprehendi potest, quo adducamur, ut illud scholion fortasse non esse Donati, sed ab aliena manu in commentarium eius illatum coniiciamus. Postremo quae in eo continentur, omnino eiusmodi sunt, qualia ab imperitis inferri non consueverunt.

Sed si accipere velimus eam quam contra Donatum statuunt inesse sententiam in Prologi verbis: *pretio emptas meo*, ecce quam mirum et veri omnino dissimile! Utraque fabula, quarum Prologi scholio nostro illustrantur, et Eunuchus et Hecyra, illa ubi primum, haec ubi tertium est acta, in scenam introductae sunt altera quidem anno U. c. 593, altera haud dubie circiter anno post; Eunuchi Prologum oravit L. Ambivius Turpio, Hecyrae Prologum II, ubi illa verba leguntur, idem Ambivius; hic in illo dicit: *postquam Aediles emerunt*, in hoc idem: *pretio emptas meo:* igitur idem fere utriusque actionis tempus, quum quod interest annus, hic nihil referat; utraque actio ab Aedilibus Curulibus curata, qui suis sumptibus illa aetate ludos publicos facere debebant; denique idem utriusque Prologi orator: et tamen idem ex eodem ore Ambivius in altero Prologo dicat, uti revera dicit, Eunuchum quidem ab Aedilibus, uti vere est, emptam esse, contra in altero Hecyrae emptionem a se factam respiciens, quam plane, si quidem omnino inanem in illis verbis adiectis sensum inesse nolis, eum respexisse sumendum erit, nunciet, a se ut familiae scenicae principe fore ut fabulae posthac sive ab ipsis poetis emantur sive, quod etiam magis mirandum est, ab Aedilibus ante emptae, ut

Pareus opinatur, redimuntur? Quid? Ab omnibus partibus una eademque res, nihilo tamen secius diversa rei ratio? Praeterea cogitantibus nobis, quanto Ambivius studio et labore in illo Prologo eximia arte facto annitatur, quot causas afferat, ut tandem populus Hecyram iam bis expulsam a se peragi sinat, ita ut denique addat ultimam sibique gravissimam causam: *pretio emptas meo*, Donatus eam recte explanasse videbitur. Lecta enim sane sunt haec verba et ut ita dicam, comice colorata: Mit *meinem* Gelde gekauft, quae utique Ambivii pecunia dici potest, quatenus nimirum ab ipso numeranda est Aedilibus, si fabula excluditur, sive ut Donatus explicat: Um einen Preis gekauft, den *ich* bestimmt habe, *meo* = *a me facto*, *a me statuto*, quod sine ulla dubitatione latinum est, cf. Broukhus. ad Propert. 4, 7, 65. Igitur non in *pretio*, sed in *meo* vis est, quapropter in fine positum idque mira quadam et iucunditate et arte in fine totius Prologi, ubi certe longo ac gravi eodemque comico quodam sono et vultu ab actore suum damnum praecauturo pronunciatum est. Sic diluuntur, quae Westerhovius de hac re argumentatur, et sane *pretium* latine non potest significare: *aestimatio pretii*; id autem Donatus ipse neque vult neque dicit.

Verum ex ea ipsa re, quod illud Donati scholion neglexerunt et Terentium male interpretati sunt, profecta est permira illa quae inter viros doctos et superiores et recentiores intercedit de fabularum emendarum ratione opinionum diversitas. Quum enim altero Terentii loco prologus dicat: *postquam Aediles emerunt;* altero idem prologus: *pretio emptas meo:* Pareus, ut quam ibi vidit vel potius intulit repugnantiam tolleret, statuit, ut paulo ante memoratum est, Aediles a poetis, histriones rursus ab Aedilibus emisse fabulas, saltem Hecyram. Quae quidem sententia Pareana vel se ipsa condemnat, quum eiusmodi ratio non dicam omnino abs re sit, sed quasi commercium quoddam inter Aediles gregumque scenicorum principes necessario constituat, quod quam male cum Aedilium onere ludorum impensas e suis fortunis faciendi conveniat et quam indignum sit magistratibus iisque Curulibus, ipse videas. Iuvencius ex contrario histriones a poetis, Aediles ab histrionibus, Westerhovius fabulas alias easque plurimas Aediles, histriones alias emisse a poetis existimat. Ex quibus antiquiorum sententiis alii aliam sequuntur recentiores, adeo ut nonnemo a se ipso dissideat, ut N. E. Lemaire ad Andr. Tit. et Eunuch. Prolog. II. Confusionem auxisse videtur, quod Iuvenalis Sat. VII, 86 sq. canit:

. . . sed quum fregit[14]) *subsellia versu,*
Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agaven.

Sed ut ad illa seriora tempora Aedilium munus in hac re integrum manserit, quod tamen vix affirmari poterit, Paridem nisi magistratus nomine, suo quidem periculo, tragoediam illam sive, quod Frankius Exam. crit. Iuvenal. vit. p. 127 mavult, pantomimum, non emisse si

---

14) P. Papinius Statius.

contenderem, nemo foret quin facile concederet. Et hunc sensum in concisa oratione poetica, quae uno verbo usum praesertim Romae notissimum designaverit, inesse posse non negabis. Attamen res alia esse mihi videtur, neque alium quam qui in verbis Iuvenalis simpliciter intellectis cernitur, fabulas vendendi morem statuendum esse censeo. Diversa enim quae a Iuvenale indicatur emptionis ratione, qua P. Papinius Statius Agaven suam Paridi pantomimo vendidit, quum multo posteriore eaque imperatoria aetate facta sit emptio, ad vetustiores illas institutiones scenicas procul dubio valde diversas nihil probatur; et ut illam inter locos Terentianos discrepantiam nullam esse ostendit Donati interpretatio, sic et hanc, quae Iuvenalis loco obverti videtur, facillime removeri posse arbitror. Namque hactenus tantummodo ii ludi scenici denotabantur, qui muneris aedilicii sive in aliorum magistratuum officiis erant, quo pertinent Megalenses, ubi quidem Terentii Eunuchus, permultae comoediae actae sunt, igitur eae fabularum actiones, quae magistratibus primum publico, tum vero suo sumptu erant curandae, ut fabulae sane ab ipsis suo pretio emerentur neque ab histrionibus. Nunc si fabularum actiones spectas, quae magistratuum non erant ideoque non ab ipsis parabantur, sed ab hominibus privatis, i. e. a scenicorum magistris, alia emendi ratio non esse non potuit, ac quidem histriones erant fabularum emptores. Itaque sane hac mente discernenda est emptio magistratuum ab emptione privatorum; sed haec altera minime liberae reipublicae temporibus inde a Livio Andronico, sed soli Caesareae aetati adscribi posse videtur. Illud enim verisimile est primum propterea, quod fabularum emptiones actionesque ab histrionibus privatim susceptae curataeque omnino non apte conveniunt in reipublicae Romanae naturam et constitutionem; deinde neque ullum eius rei exemplum memoriae proditum est; tum vero satis liquet ex contrariis exemplis Eunuchi et Hecyrae atque e Donati testimonio. Hoc autem quum probabile fit ex eo, quod et munera magistratuum, imprimis officia et negotia popularia, et res dramaticae ac scenicae imperatorum seculis idque statim ab initio magnopere mutari coeperunt, tum vel manifestum est ex illo ipso Iuvenalis versu et quum maxime ex ea qua Donatus illa Prologi Terentiani verba exponit ratione. Etenim quanquam in principatu populus Romanus magis delectabatur mimis et pantomimis, gladiatorum et ferarum spectaculis, ac poesis dramatica, magis quidem comoedia quam tragoedia, paulatim deflorescere coepit, tamen haudquaquam intercidit, immo fabulae, etsi novae rarius scribebantur, tamen veteres in scena agi pergebant. Cf. Lessing. l. l. Sed ut omnium rerum, ita etiam ludorum publicorum gratia et studia civium consulto et cogitate convertebantur ad principes omnis fere ambitionis, omnis favoris populi, omnis auctoritatis potestatisque aemulos et invidos, ut civium privatorum et magistratuum largitiones auraeque popularis captationes, quum inanes et irritae essent, magis magisque cessarent. Hinc Tribunis plebis petentibus, ut proprio sumptu edere liceret Ludos Augustales, non concessit Tiberius, sed decreta pecunia ex aerario et mox celebratio Augustalium ad Praetorem peregrinum translata est, cf. Tac. Ann. 1, 15; hinc ludorum cura omnis fere et propria Praetorum erat ad eosque ornandos sumptu respublica fungebatur, ut ad Quinquennale Ludicrum a Nerone

Romam invectam, cf. Tac. Ann. 14, 21; hinc Tacitus dicit Ann. 13, 22: *Cura Ludorum, qui a Caesare parabantur, Arruntio Stellae* (permittitur); quia Nero edixit, ne quod Ludicrum ederent magistratus provinciales, cf. Tac. Ann. 13, 31; hoc potissimum et ipsum quidem erat, quod principes novos ludos instituerent, ut Augustus Augustales, Nero Iuvenales, quanquam privati per domos aut hortos celebrati, Tac. Ann. 15, 33, et Quinquennales; hinc denique etiam veteris theatri eiusque institutorum laudatores novam spectaculorum rationem abolitamque scenae antiquitatem, oppressum magistratuum certamen civiumque contentionem in adornandis populo ludis increpant apud Tacitum, Ann. 14, 20, siquidem locum illum vexatum et omnino c. 20 et 21 recte percipias cum Walthero. Neque adeo improbabilis rerum theatralium praecipue ex ea quam dicimus parte commutatio videtur ob magnam quae per illam aetatem erat histrionum, mimorum pantomimorumque gratiam et potestatem vel in ipsos Caesares, ut Paridis in Neronem et aliorum in alios inde a Bathyllo a Maecenate effuse adamato, cf. Tac. Ann. 1, 54. Iam vero rem certam quoque esse facile cernitur. Etenim praeter locum Iuvenalis simpliciter comprehensum, quemadmodum ab omnibus interpretibus comprehenditur, etiam ea quam Donatus dedit loci Terentiani explanatio satis memorabilis paene omnem dubitationem tollit. Nam Donatus, cui nimirum, id quod vel ex illa ipsa explicandi ratione haud vulgari perspicere licet, rerum scenicarum, non solum quales eius seculo p. Ch. quarto erant, accuratiorem notitiam attribuendam esse supra vidimus, Prologi ad Hecyram verbis: *pretio emptas meo,* non communem, cuivis obvium, sed plane singularem, novum quemdam necopinatum sensum asseruit. Atqui si principatus aetate non alius fuisset fabulas emendi usus quam reipublicae tempore, certe vulgari modo locum explicuisset et Caesarei aevi morem secuta esset eius interpretatio, nec talem sententiam verbis intulisset vel vi quadam inde extorsisset.

Ut redeamus unde digressi sumus, ex iis quae hactenus disputavimus, primum quidem satis apparere videtur, non modo spectatos in arte comica poetas, verum insigniores quoque actores fabularum emendarum agendarumque censores ab Aedilibus destinari esse solitos, et illud quidem ex fide Suetonii et Hieronymi, hoc autem ex auctoritate Donati; atque ex eiusdem testimonio putandum erit Aediles illorum censorum iudicio et periculo a poetis fabulas emisse, et quidem, id quod indidem atque ex Iuvenale effici cogique possit, per liberae reipublicae tempora idque primum ex aerario, mox vero suis impensis, in principatu autem ubi diversa rerum scenicarum ratio fuerit, partim imperatores et publico impendio et suo sumptu, partim privato negotio privataque pecunia histriones, igitur varias virorum doctorum inde a Nannio de emptionis ratione sententias esse improbandas.

Iam vero censores illos tantum criticos sive aestheticos quos vocant fuisse, nec perpetuos quosdam sive ordinarios et publici cuiusdam consilii causa a republica constitutos sive politicos qui dicuntur, ut graeco more certi illi censores Athenis fuere, qui publice de comicis et comoediis iudicarent, quales Romae Aediles fuisse volunt, id ut ipsa res indicat, ita ex

eodem fonte Donatiano repetimus. Etenim ab Aedilibus non deligebantur nisi ut, quod Donatus refert, aestimarent fabulas, i. e., fabularum virtutes, quibus cognitis, an fabulae dignae essent, quae in scenis agerentur, et quantum auctoribus daretur, statuerent ac quidem suo periculo suoque ipsorum veluti pretio, abiecta fabula a se repetendo. Inde multo magis, quam unde assolet, pervideas et explices, quare omnino illi ipsi gregum scenicorum magistri primarumque partium actores, ut supra de Ambivio monuimus, in Prologis, quos orabant, tantopere studerent et poetam et fabulam commendare, ac populum exorarent, ut per silentium agere liceret, quo fabula staret. Ipsi enim maxime periclitabantur, si qua fabula exploderetur. Nam ea exacta, ait Donatus, Aediles pretium, quod ex actoris eiusdemque censoris iudicio et auctoritate poetae solverant, ab illo repetere poterant. Quam ob rem quosdam velle [15]) *periculo*, subiungit Donatus, qui vero, etsi eundem sensum verbis Terentii vindicat, hac tamen inaudita v. *pretii* explicatione opus non esse sua explanandi ratione evincit. Verum enimvero hinc simul etiam certius duci potest, qua fide totum Aelii nostri indicium sit, ex quo patefiat, iam ante eum veteres Terentii commentatores eandem loci significationem fuisse amplexos, quorum in numero referendi sunt viri literarum rerumque antiquarum peritissimi, ille P. Nigidius Figulus [16]), *civitatis Romanae doctissimus* (A. Gell. N. A. XVII. 7), magnoque Varroni comparandus (cf. Serv. ad. Vergil. Aen. X, 175), M. Valerius Probus et Aemilius Asper.

Quodsi vero, id quod Osanno, V. Cl., comprobante dixerim (cf. Osann. Anall. critt. p. 143 et 145), comoedia anteaquam ageretur, iudicis ab Aedilibus delecti censurae eo quoque consilio esset submissa, ut is an eam in scenam deferri fas esset, videret, neu quis poeta illam XII Tabularum legem, qua cautum erat, non solum ut communiter accipiunt, ne primores civitatis et nobiles, sed, id quod et ex Augustino de Civ. D. 2, 9. et ex ipsa illa singulari XII Tabb. lege manifesto liquet, ne quis omnino civis Romanus sive comicis salibus in pulpitis perstringeretur sive famoso carmine notaretur, violaret: qui factum est, quaeso, ut nihilominus, cuius rei auctores sunt A. Gellius N. A. 3, 3, fin. et Augustin. de Civ. D. 2, 9. [17]),

---

15) h. e. *interpretari*, non *legere*, quod quominus sentirent, metrum impediebat.

16) Qua de re disserere huius loci non est, ut igitur interim solam mentionem inchoare conveniat, Nigidium non passim locoque dato in Commentariorum Grammaticorum triginta fere libris unum et alterum Terentii locum vel singula verba commentatum esse vel recognovisse, sed proprios continuosque in Terentium commentarios seorsum composuisse, quum argumentis satis idoneis, ut opinor, probare posse mihi videar, eum inter veteres Terentii interpretes numerare haud dubito, etiamsi viri docti inde a Manutio et Rutgersio ad recentissimos illius quaestionis arbitros Schopenum, Ritschelium et M. Hertzium (De P. Nigidii Figuli studd. atque opp. Berol. 1845) vel addubitant vel negant.

17) Nam apud Augustinum de Civ. D. 2, 9, in fragmento ex Cic. de Rep. libro IV. allato: *Sed Periclem, cum iam suae civitati maxima auctoritate plurimos annos domi et belli praefuisset, violari versibus et eos agi in scena non plus decuit, quam si Plautus, inquit* (Scipio min.), *noster voluisset, aut Naevius, Publio et Cneo Scipioni, aut Caecilius Marco Catoni maledicere*, ante *Naev.* non *aut*, sed *ut* legendum esse apparet vel e loci narrationisque ratione vel ex ipsa re a Scipione Africano min. exposita. Quin etiam *aut* ibi propemodum absurdum esse affirmamus; de Naevio quippe potissimum in illam ipsam gentem Corneliam mor-

principibus civitatis (Scipionibus et Metellis) palam ludis scenicis illuderet Cn. Naevius, ut a Triumviris coniiceretur in carcerem atque, ut aliunde novimus, postea in exsilium mitteretur? Cf. Plaut. Mil. Glor. II, 2, 56 sq. ed. Ritsch. et Fest. Paul. p. 36 M. Si enim politica censura fabulae actionem praecessisset, certe Naevius illos reipublicae principes in scenis ludibrio habere non facile potuisset, nisi vero credis, aut censuram eum prorsus subterfugisse, aut comoediam censam quidem fuisse, sed a censore non plane damnatam, itaque versus dicaces, quamvis ab eo reiectos deletosque, tamen satis temere a poeta tum quidem primarum partium actore in scena esse recitatos, aut exacta censura verborum aculeos sive ante actionem per fraudem in fabulam importasse comicum sive inter actionem eundem ex tempore in illos optimates fudisse comoedum. Quorum quidquid suspicaris, quam simile sit veri, ipse iudica. Equidem non assequor. Immo vero non unum, sed multa fuerunt tempora, ubi Naevius suos sales in scena iactavit, neque una in fabula, nec solos Scipiones et Metellos salsis facetiis offendit, sed *assiduam* fuisse eius maledicentiam et probra graecorum poetarum more dicta, atque *multos* dictorum petulantiis eum laesisse tradit Gellius l. l. Neque vero Naevius unus est fabularum scriptor, quem cives suos in comoediis nominatim descripsisse accepimus, sed ex testimonio Auct. ad Herenn. 2, 13 ed. Orell., qui sine dubio non cogitatione ficta quaedam, sed historica exempla affert, certe etiam comicus quidam aequalis in pulpito nomine perstrinxit Lucilium poetam et alius incertus L. Accium poetam, uterque iniuriarum accusati, alter a C. Coelio iudice absolutus, alter a P. Mucio condemnatus. Quomodo fieri potuerit, ut haec et profecto multa alia huius rei exempla non comperta quidem, quae vero et ex ipsis rebus, quales iam cognovimus, recte coniicimus et quorum vestigia apud Augustinum, A. Gellium, alios satis indicantur, si publica censura fuisset, evenirent, id sane haud facile explicabimus. Praeterea si consideraverimus, qui de illa comicorum sive aliorum scriptorum Attica libertate refrenanda et de poenis propositis aut acceptis loquantur, ut Horatius Serm. 2, 1, 80 sqq., et Epp. 2, 1, 152 sqq., imprimis Augustinus l. c. in illo Capite, quod diserte inscriptum est: *Quid Romani veteres de c o h i b e n d a p o e t i c a l i c e n t i a*

---

dacissimo maledicentissimoque dicere Scipionem min.: *s i v o l u i s s e t maledicere P. et Cn. Scipionibus*, plane ineptum videtur, quasi his Scipionibus maledicere non ausurus fuisset is, quem illi ipsi Scipioni mai. adeo maledixisse constet. Immo potius non modo Scipionem Africanum mai., verum etiam superiores illos Scipiones, Publium, maioris patrem, et Cneum, Publii fratrem, sine dubitatione in scena versibus vexavit. Itaque in Ciceronis Republica Naevius in ea re cum Plauto et Caecilio a Scipione min. confertur, ille ob maledicentiam vituperatur, hi ob eiusmodi quidem modestiam laudantur, quod unum rerum rationi respondet. Et sicut Augustinum sive Ciceronem de Rep. in testimonium scenicae illius petulantiae, qua imprimis optimates castigaverit Naevius, adducere non dubitavimus, ita, ut hoc interim praemoneamus, A. Gellium N. A. 6, 8. etiam eius rei, quod Naevius Scipionem mai. *palam in scena,* quae hic sola in quaestionem venit, vi comica exagitaverit, testem facere non dubitamus. Namque omnino aliam esse illorum Naevii versuum rationem, quam quae nunc ab omnibus, quod sciamus, sumitur, Naevii carmen epicum de primo Punico bello metro Saturnio scriptum cogitantibus, pervidisse nobis videmur suoque loco evincere studebimus.

senserint —, eos de latis quidem legibus et iudiciis et mulctis earumque formidine, nihil autem quidquam de maximo quidem censurae publicae consilio commemorare, hoc inde esse quod nullum exstiterit, alioquin certe eius mentionem aliquam eos fuisse facturos, nobis persuasum habebimus. Ad postremum etiam quod in iis, quae Dio Cassius 56, 27 refert, Augustum edixisse, ut cuiusque generis scripta famosa sive certis sive incertis auctoribus vulgata ubique conquirerentur et in Urbe ab Aedilibus, extra Urbem a singulorum locorum praefectis comburerentur, atque in scriptores eorum quosdam animadvertisse; praeterea 57, 24, Tiberio imperante C. Lutorium Priscum equitem magnique nominis poetam propter carmen in Drusum per eius morbum compositum a Senatu esse condemnatum supplicioque affectum; idem 57, 25, Aelium Saturninum, quod de Tiberio libellos quosdam famosos sparsisset, de Capitolio praecipitatum esse: quod igitur in his de suppliciis quidem sumptis, sed de inculcata magistratibus lege aut de admonitione officii aut de renovando, quo praecaveretur, tali instituto non ulla fit mentio, maxime vero quod ex Dione Cassio Augustus illo edicto scripta et carmina famosa publice tollenda exstinguendaque curavit, censurae autem obiice praestructo, quem fingunt, non iussit prohiberi: id etiam colligere nos patitur, neque tum neque unquam antea Romae liberae civitatis temporibus institutum fuisse quidquam censurae publicae, quae scriptorum acerbis facetiis occurreret irrisorumque procacium petulantiam praeveniret. Quapropter res ita habuisse videtur, ut legem illam XII Tabb. semel sancitam ratamque neminique ignotam eo tuerentur magistratus, ut qui transgressus esset poeta, gravi poena mulctaretur. Quantumvis autem eam reformidarent comici, tamen idcirco legem illam et ante et post Naevium ab iis illaesam mansisse, quod nullum praeter Naevii exemplum nominatim proditum sit, falso putant. Denique cur opus fuisset, ut etiam legis causa fabulam a censore excuti iuberent Aediles, qui eam censurae partem, si qua eiusmodi fuisset, recipere ipsi facile potuissent, quin immo debuissent? iis enim hoc censendi officium ut gererent ipsi publice iniunctum fuisse, multo veri foret similius, ut quod suum fuisset, poetis comicis et actoribus primariis, quippe dubiis admodum in hac re fabularum scrutatoribus, qui dicta in patricios invidiosa parum curassent, quin adeo fovissent, eos demandasse nullo modo probabile sit. Multum profecto fuisset periculi, ne ipsi vigilantiae de lege neglectae postulati reique facti magistratu abdicarentur aliave mulcta afficerentur. Sed enimvero vel propterea Aedilium Curulium maxime non interesse non poterat, ut, si quod esset, tali censurae munere fungerentur ipsi, quod timendum erat, ne, quanquam Terentii quidem aetate Aediles Curules promiscue et plebeii et patricii erant, tamen certe patricii Aediles haud minus quam ceteri nobiles comicorum cavillationibus lacerarentur. Et ut cumulum addamus, si Aedilibus fabularum censura publici consilii sive legis causa faciunda fuisset, quid ad eiusmodi finem assequendum fabula, anteaquam publice ageretur, privatim *in scena* apud Aediles et aliquot arbitros *agi* solebat? Cuiusmodi fuit censura Eunuchi, uti infra discemus. Haec quidem actio sane fieri non potuit nisi criticae, aestheticae censurae causa; contra ut legi, qua praecavendae

erant iniuriae a comicis metuendae, satisfieret, aut ipsis Aedilibus censoribus fabula fuisset perlegenda aut a poeta iisdem censoribus recitanda. Sed neutrius rationis exemplum novimus.

Quibus ex rationibus satis perspicuum esse cognoveris, Romanam fabularam censuram, poetis comicis et gregum scenicorum magistris ab Aedilibus delatam, non aliam fuisse nisi criticam sive artem dramaticam virtutesque quas vocant aestheticas spectantem, politicam vero censuram in libera republica exstitisse nullam ideoque consentaneum esse, criticam sive dramaticam illam non fuisse publicam, sed privatam Aedilium, quorum quidem ut omnino ludicra ab ipsis adornata populo placerent aeque referret atque censorum timentium, ne pretium, de quo inter ementem et vendentem eorum periculo convenerat, repeteretur. Hanc autem censuram Aediles non ipsos factitasse, quin etiam eorum plurimos quidem ad eam suscipiendam indoctiores fuisse, non est cur mireris. Etenim ut omittam, qui Aedilitatem Curulem gesserint, eos dimidia fere ex parte fuisse plebeios optimis artibus non ita eruditos, id quoque considerandum est, Romanorum magistratus, anteaquam munus auspicarentur, ne eam quidem, quae apud Athenienses valebat, δοκιμασίαν subiisse. Sane quidem de Pontificibus testatur Dionysius II., 73, p. 132 ed. Sylb.: τὰς ἀρχὰς ἁπάσας, ὅσαις θυσία τις ἢ θεραπεία θεῶν ἀνάκειται, καὶ τοὺς ἱερεῖς ἅπαντας ἐξετάζουσιν; et Niebuhrius, V. Cl., Hist. Rom. ed. 3. P. I, p. 379 sq. (cf. p. 373 sq. eiusd. ed.), ut alterius legis curiatae sive rogationis regiae de imperio sibi tradendo ab ipso rege creato comitiis curiatis latae, cuius miram instaurationem propterea quod praeter senatus auctoritatem et auguria ad novum regem divinitus confirmandum capta antecedebat lex curiata ab interrege rogata, non facile percipies, iustam causam habeat, hanc in eo quaeri posse censet, quod etiam reges illi magistratuum sacerdotumque lustrationi a Pontificibus habitae submissi esse videantur, quamvis Cicero illius legis ab ipso rege novo, ut in plena potestate constitui posset, denuo rogandae aliam fuisse causam auctor sit, nimirum tantae potestatis, quanta imperio contineretur, delationem a liberis hominibus maiorem gravioremque habitam esse quam ut unam deliberationem in una rogatione positam sufficere crederent, idemque eandem rogationis renovationem in annuos minoreque potestate praeditos magistratus praescriptam fuisse affirmet. Cf. Cic. de Leg. Agrar. II, 11 (26). Sed quod non invitis patris historiae Romanae manibus dictum velim, legis regiae ea quam Tullius affert haud dubie vera causa fuit; contra quam Niebuhrius vult regum et magistratuum lustrationem, ea Dionysii esse vix potest. Nam quod ipse verborum tenor totiusque loci Dionysiani ratio sponte deposcere videntur, ἐξέτασιν illam, quam Dionysius dicit, ipse intelligi non voluisse non potest tantummodo sacerdotalem, quae circa sacra verteretur quamque Pontifices, omnium sacerdotum dignitate primi, qui iudices atque arbitri omnium rerum divinarum haberentur, quorum maximus omnibus cuiusque generis sacerdotum publicorum collegiis et sodalitatibus praeesset resque divinas quaslibet moderaretur, in sacerdotes exercerent ac praeter regem in reliquos utique magistratus civiles militaresque longe plurimos quidem, sed dumtaxat quatenus ii quodammodo sacerdotes erant, igitur ἐξέτασιν de rebus

sacris neque profanis, siquidem ad eorum officia pertinebat, ut Dionysius ait, *sacrificium aliquod vel cultus deorum.* Cf. Liv. 1, 20; Macrob. Sat. 1, 16; Val. Max. 1, 1, n. 2. Quam quidem praeviam eorum magistratuum δοκιμασίαν summa religionum omniumque sacrorum dignitas sanctitasque postulare videbantur Romanis, eademque ex religione sacrorum amplitudineque sacerdotii intelligere licebit, quare ab ipsis Pontificibus de ea magistratuum facultate et dignitate iudicaretur. Et haec sacra quidem novi regis lustratio simul in causis legis curiatae de imperio regio renovandae, id quod etiam in alios magistratus caderet, fuisse potest praeter eam, quae a Cicerone proditur. Tum vero nostra sententia reconciliantur Cicero et Dionysius, inter quos dissensum fecit Niebuhrius; veteres autem scriptores non sunt dissociandi, immo si qua in re dissidere videantur, quoad fieri possit, inter se componendi. Atque quam mirum foret, auctores, imprimis Ciceronem, ubi de ea re doceant, iteratae legis curiatae causam sive Niebuhrianam regum Romanorum lustrationem, quae eiusmodi est, ut pari, quin maiore iure etiam ad ceteros Romanorum magistratus transferre per verba Dionysii liceat vel potius oporteat, aut ignorare aut tacere, rectam omittere, falsam proferre eamque adeo in alios praeter regem magistratus traducere! Quorsum opus fuisset praeclaro illo instituto, quo etsi, quod sciamus, liberae demum quidem, sed iam priore reipublicae tempore, tribunis rogantibus ii, qui in magistratu, quem capessiverant, gerendo parum idoneos se praestiterant, eo abdicare se cogebantur? Certe vix fuisset haec institutio, si illa magistratuum δοκιμασία antecessisset muneris administrationem; saltem rariora essent huiusmodi abdicationum exempla. At illam ἐξέτασιν per sola regum Romanorum tempora valuisse, prima autem liberae reipublicae tempestate abolitam esse, unde instituto illo publico posthac opus esse visum sit, nihil est vero dissimilius, neque ullum Dionysius temporis spatium circumscribit. Nec si legis curiatae regi in plena potestate confirmando rogandae, id quod etiam ad reliquos magistratus pertineret, causa fuisset δοκιμασία simul profana simul sacra, legem Romani vocassent tantummodo *de imperio,* quo sane plena quidem potestas, sed civilis et militaris, i. e., rerum humanarum, neque vero etiam divinarum, comprehensa fuerit. Et sacram δοκιμασίαν omnes sacerdotes Pontificibus inferiores, igitur omnia quae praeter Pontifices proprie dicuntur sacerdotum collegia, regem sacrificulum, omnes Flamines, Curiones, Virgines Vestales et cuiusque generis sacerdotum, qui vocantur Sodales, collegia, atque ex magistratibus reges, postea Consules, Dictatores, Aediles Curules, Praetores, omnes maioris minorisque dignitatis magistratus in sacris simul constitutos subiisse censendum esse videtur ex auctoritate Dionysii.

Itaque Aediles Curules quum alii quam sacrae lustrationi non essent subiecti, si, id quod certe a plerisque non abhorruisse in confesso est, in fabulam, quam in scena dari curaturi erant, censendam criticam administrare provinciam ipsi non poterant, id munus censori auctoritate critica valenti, cui placebat, deferebant. Quodsi civilem ἐξέτασιν non subibant magistratus Aedilitatem Curulem adituri, cur, quaeso, Aediles censuram in Terentii Andriam non egerunt ipsi, sed Caecilio mandarunt? Cur Hecyram Ambivio Turpioni? Nonne quia, quum

censuram facere illi Aediles non magis possent quam deberent, tam necesse erat quam licebat? Nonne si Aedilium fuisset fabulas censere et ipsi huic negotio satisfacere potuissent, id in alios conferre neque necesse fuisset neque licuisset, neque Aedilibus anni fatalis Caecilii neque Q. Fulvio et L. Marcio, Hecyrae tertium edendae curatoribus? Et quum prima fabula ex Catoniana temporum ratione anno demum 513 ab U. c. a Livio Andronico in scena Romanorum acta sit (cf. Osann. Anall. critt. III), primi vero Aediles Curules ex eadem computatione iam anno U. c. 391 instituti sint, ab initio saltem per annorum centum viginti et duorum seriem ex eorum officiis esse non poterat fabularum et edendarum et censendarum cura, atque omnino a Romanis certe intra illud temporis spatium alienam fuisse earum artium graecarum quum cognitionem tum tractationem consentaneum est. Quare *serius,* ait Cicero Tusc. Quaest I, 1, *poeticam nos accepimus;* et idem ibid. 2: *sero igitur a nostris poetae vel cogniti vel recepti — honorem tamen huic generi non fuisse, declarat oratio Catonis, in qua obiecit ut probrum M. Nobiliori, quod is in provinciam poetas* (Ennium) *duxisset — quo minus igitur honoris erat poetis, eo minora studia fuerunt.* Atqui intra septuaginta et quod excedit annorum spatium ab anno 513 usque ad annum, quo Andria Terentii data est, novum illud censendi munus Aedilibus esse iniunctum, nedum ullum eius rei vestigium reperiatur, maxime efficitur veri dissimile et iis quae praemisimus et Donati narratione supra allata, ex qua Aediles pretium, quod poetae numeraverant ex censoris iudicio, ab hoc, si fabula exacta erat, repetere poterant, quod pactum quoddam inter Aediles et censores adsignificat. Id autem certe fieri non potuisset, si fabulas censere Aedilium fuisset; neque Ambivius in scena palam pronunciare potuisset, a se, quippe Hecyrae censore, pretium suo periculo esse statutum. Quin adeo credere licet, qui ludos publicos sua impensa suisque sumptibus pro modo patrimonii et dignitatis celebrandos curarent, eos suo arbitrio suaque voluntate, quod semel usu receptum erat et populus exspectabat ac desiderabat, ambitionis captandaeque aurae popularis causa, non muneris officio quodam praescripto fabulas in scena dedisse. Cf. quae Osannus Anall. critt. p. 142 hac de re docet. Neque auctores Aedilium Curulium passim memores et quae eorum officia fuerint exponentes de ea re quidquam posteris tradiderunt, nec Cicero quidem primario de Aedilibus Curulibus loco Verr. II, 5, 14. Quid? quod ab omnibus Romanorum magistratibus non tanta literarum artiumque doctrina et eruditio, sed potius rerum civilium et militarium cognitio peritiaque postulabatur, exceptis iis, qui ius dicebant; immo etiam his licebat iuris consultorum opera uti, quo iure ut revera uterentur, eos aliquoties coactos esse constat. Sicut vero Aediles Curules, ita quicumque ludos scenicos edebant, sive magistratus erant, ut Praetores, sive homines privati, eorum plerosque certe iudicium criticum de poesi dramatica facere non potuisse, sed novas quidem fabulas, quas populo edituri essent, peritis huius artis existimatoribus censendas dare debuisse, nisi vero auctoribus confiderent, sane per se intelligitur.

At vero mea ipsius vineta ipse fortasse non caedere non possem, sive potius non posuissem, si Lucius Ioannes Scoppa Collectann. II, 7 (I. Grut. Thes. crit. Syll. I, 4, p. 953), quam de

scriptoribus commemorat Romanorum legem, unde haberet, dixisset, ut qui ei tradiderit auctor, qua fide sit, indicari possit. Sed enim nemo omnium, quod equidem sciam, neque ex veteribus scriptoribus neque ex viris doctis et antiquioribus et recentioribus de istiusmodi lege certi quidquam scire videtur, praeterquam quod Rosinus in Antiqq. Roman. VII, 25, p. 513 eandem, licet nimis credulus, ipsissima Scoppae verba repetens, in medium protulit. Et profecto observatu dignissima est viri narratio. Quapropter etiam huc eam transcribere libet. Iam vide. *Sciendum est quoque,* ait Scoppa, *legem fuisse latam, ut nullus aliquid componeret, ni prius ad Aediles accessisset, et scribendi veniam, cum illi prius scriptoris vires perpendissent, moxque secundum ingenii capacitatem et doctrinam dabant componendi potestatem, impetrasset; denique praeerant recitandis et recitata emtitabant: de qua lege Virgilius intellexit in Bucoll.:*

Ludere quae vellem calamo permisit agresti,

id est, ne excederem a stylo agresti ultra legem et veniam impetratam, donec essem maturus ad altiora reponenda.

Ista lex si apud Romanos exstitisset, utique meam sententiam totam fere everteret. Sed non locupletem ullum auctorem neque quidquam veteris documenti, immo vero vel suum vel alius ingenium, sive potius pravam, quam in antiqua testimonia ad rem nostram partim spectantia, partim non spectantia intulit, mentem secutum, eam legem Scoppam sibi finxisse complura sunt, quae mihi fidem faciunt. Primum enim Scoppa noster legem suam elicuisse videtur ex Vergilii loco a sese adscripto. Hunc autem, praeterea quod ex Augusta aetate ad superiora illa secula nihil quidquam rei confessae redundaret, male eum intellexisse non est cur ostendamus, cf. Heyn. ad h. l.; deinde ex primis Andriae Terentianae Prologi versibus tribus, quos eodem capite paulo ante ita explicuerat, ut talem legem olim datam fuisse non potuerit non statuere. Sed perversa prorsus est loci Terentiani explicatio. Cf. Scopp. l. l. Quocirca, si recte coniecimus, non minus perperam hinc derivata lex est; multo potiore iure, quanquam haud minus falso, quemadmodum alii fecisse videntur, suam legem extricare poterat Scoppa ex Terent. Eunuch. Prol. v. 19—22, qui quo sensu accipiendi sint, paulo post videbimus; tum ex XII Tabb. lege, ex comoediarum Didascaliis, Suetonio, Donato atque Hieronymo, quorum de re nostra indicia a viro, sive animo obversabantur sive ante oculos erant, parum comprehensa sunt; praecipue vero ex Pseudofenestella de Magistr. Rom. c. XIII, quem testem producit vir eruditus, quamvis iste fraudator, ut Scoppa ipse diserte ait, nihil aliud dicat nisi *in argumentis comoediarum nomina Aedilium, qui ludis praefuissent, adscripta esse.* Denique autem quae Scoppa adnexuit verba: *deinde praeerant recitandis et recitata emtitabant,* seu ad solos poetas comicos referri voluit, seu ad ceteros quoque cuiuslibet generis scriptores, suspicionem meam non mediocriter augent. Sed quaecumque legis Scoppanae origo est, nunquam equidem contra apertas earum rerum apud Romanos rationes supra enarratas credam, ex ullo vetustatis fonte, liquido quippe et gravi, aquam suam Scoppam hausisse.

Iam vero quid Perleto faciam, non mediocriter laboro, ita is quasi ad incitas me redegit. Scribit enim more suo in Annott. ad Terent. Andr. Didascal.: *Ceterum Ambivius videtur unus fuisse de his, qui more antiquo ab Aedilibus fabulas locarint gregi suo agendas, si Plutarcho confidamus hac de re disserenti.* Ex his igitur Plutarchus alicubi dicit, quin *disserit*, gregum scenicorum principes ab Aedilibus locasse fabulas agendas. Qua de sententia, quae est Pareana supra condemnata, quid iudicem, utique minime quidem dubius sum; sed quod Perletus ad Plutarchum tanquam huius rei adminiculum annititur, hae sunt angustiae meae, non quo verear, ne aedificium meum labefactetur aut subvertatur; nam ut opinioni Pareanae, ita Plutarcheae, si qua exsistit, universae earum rerum rationes et auctoritates plane sunt contrariae; sed quod mihi non datur locus istum Plutarchum exquisitius examinandi et de eius *dissertatione,* de qua ipse aliquantulum disserere cupiam, iudicium meum faciendi. Totum enim Plutarchum quamvis, sed frustra, perlustrassem, consultis locupletissimis Indicibus Reiskianis, tamen quum mihi ipse, sicut Perletus Plutarcho suo, confidere nollem, idem iterum feci, sed iterum actum egi. Quo malo successu doleo quidem, sed patienter doleo, praesertim quum meo quodam iure Pseudoplutarchum aliquem iam odorari mihi liceat, quo fit, ut, si recte suspicemur, ad πρῶτον ψεῦδος, quod modo pernoscebamus, nunc δεύτερον accedere videatur.

Neque vero cogites, omnes omnium poetarum comoedias, antequam Aediles eas in pulpito edendas curarent, iudici critico esse traditas, qui qualis fabula esset quantumque auctori pretium persolverent ludorum scenicorum curatores, videret, seu an fabula digna esset quae in scena ageretur, examinaret. Nam si quis fabularum scriptor tanta iam valebat ingenii artisque celebritate et auctoritate, ut periculum abesset, ne fabula emenda agendaque exigeretur, haud facile erat quod Aediles eam existimatori censendam darent. Egregio huius rei documento est Terentii Eunuchus, quae, ut prologus ipse v. 19 sqq. dicit, tum demum, *postquam Aediles emerunt* [18]), a Luscio Lavinio, Terentii adversario, *qui perfecerat, ut sibi inspiciundi esset copia,* priusquam publice ageretur, in censuram privatam eamque, ut hoc interiiciam, criticam, non politicam, quae hic quidem cogitari omnino nequit, vocata sit, quae, nisi Lavinius magistratibus malevole institisset ac perfecisset, certe facta non esset, *quippe iam adulta commendatione poetae ac meritis ingenii notioribus populo*, quomodo, quanquam alio nomine, Donatus ait in Praef. in Eunuchum. Censuram criticam non simpliciter et absolute semper factam esse eo magis crediderim, quo pauciora illius exempla eaque vel primae novi poetae fabulae, ut Andriae Terentii, vel quamquam notioris quidem poetae, fabulae tamen fato quodam iniquo

---

18) Haec verba non ita quidem referenda ideoque totum locum aliter interpretandum esse arbitratur Benfeius, Annott. ad Ter. vers. germ., sed argumentatione haudquaquam probabili. Non modo Dacieriae, contra quam disputat vir doctissimus, verum etiam Donati, totius rei, si quis alius, sane periti (cf. Donat. ad h. l. et ad Hec. Prol. II, 47 sqq.), explicatio repugnat, et si quid ego video, universa loci constitutio et narrationis ratio et sententiarum coniunctio.

abiectae denuoque in scenam revocandae, ut Hecyrae, quae, quum quinque circiter annis post primam actionem non prosperam intra unum fere annum secundo et tertio relata sit, ut quasi nova (*nunc haec plane est pro nova*, Hec. Prol. I, 5), ita infelicis successus causa censurae et novae aestimationi auctoritatique ab Ambivio ut gregis magistro ludorum curatoribus praestandae obnoxia fuerit, memoriae traduntur. Sed tametsi non iusta quidem censura in novam clari comici fabulam sive praesentibus ludorum editoribus sive alio modo faciunda, tamen, id quod illud Ambivii „*pretio emptas meo*“ colligi iubet, pretii aestimatio sive auctoritas et cautio quaedam tacita, quam imperator histricus, quem Plautus appellat, sive solus sive cum socio, si quem habebat, omnibus ludorum semper curatoribus interposuerit, fuisse videtur, ut contendere audeam, Ambivium nostrum, quum omnes Terentii comoedias egerit, sponsionem fecisse non tantum de Hecyra, sed de omnibus, vel solum, ut de Hecyra, vel cum sociis, ut de reliquis, neque exceptis Adelphis, quamvis huius fabulae Titulus cum Donati Praefatione de actoribus dissentiat, neque Andria, licet a Caecilio quidem censa sit. Utique enim privati officii causa erga illius anni Aediles, quippe suos facile amicos, Caecilium, nulla sane satisdatione obstrictum, Andriam censuisse consentaneum est, et quod celebrato erat nomine censor et quod tum Ambivii auctoritas nondum ita adulta fuisse videtur, quantum ex Andriae Prologi ratione cum ceteris Terentii Prologis comparata cernere licet. Ut vero Ambivius fabulae actionem suscepit, ita etiam conditionem accepit, quod quidem facile potuit post optimi existimatoris comprobationem. Quod ad alterum attinet, quanquam Adelphorum Didascalia Ambivium, a Donato quidem in Praefatione in Adelphos designatum, inter actores primarios non indicat, tamen etiam hic, sive a duplicis actionis confusione trahenda est discrepantia, sive ab alia quadam alterutrius auctoritatis depravatione, in tali quaestione diligentius instituenda nunc id unum monentes, in Praefatione Donatiana utrumque compluribus signis, quum hanc aliasque Didascaliae partes fuisse controversas, tum Ambivii nomen evidentissime notari, Donatum ducem sequendum esse putamus. Cf. Annot. nostram 19. Iam vero quum praevia et iusta quidem censura in universum infrequentior fuerit, quae Plautinae Terentianaeque fabulae existimationem criticam nunquam expertae propter creditam praestantiam sive poetarum meritum atque auctoritatem iudicandae erunt, eae etiam, saltem dum scriptores viverent, parum aut nihil interpolationis, sive amplificationis sive liturae, neque ab Aedilibus neque ab actoribus primariis, quos, ut in transcursu moneam, ad fabulam cum adolescentium suorum gregibus agendam poeta ipse constituit (cf. Terent. Heaut. Prol. 12 et 43 sqq.), accepisse neque a scriptoribus ipsis, ubi semel placitae sunt, valde mutatae videntur, id quod ad circumcidenda ab Osanno egregis de ea re dicta adiici velim. Cf. Anall. critt. p. 145 sqq. Et quum auctori omne ius in fabulam abrogatum fuisse, simul atque Aedilibus eam vendidisset, in eaque censoribus quidquid liberet aut immutare aut prorsus delere licuisse contendat Vir κριτικώτατος, id ad unam tantum actionem, dum fabula peracta esset, mecum relatum velit, neque vero ad omnes posteras. Nam ut primum fabula in scena data fuit, sive acciderat, ut non perageretur —

non poetae quidem sive fabulae vitio, neque iniquo spectatorum iudicio neque actorum culpa, sed alio quodam vitio et calamitate immerita, cf. Terent. Hec. Prol. I et II —, sive comoedia steterat, semper ad auctorem suum redibat, qui iterum poterat vendere idque vel iisdem ludis. Alioquin enim Ambivius [19]) pronunciare non poterat in Hecyrae, pugilum spectaculo funambulique exspectatione iam quattuor ferme annis ante de scena deiectae ludis *Megalensibus* denuoque repetitae L. Amilii Pauli ludis funebribus itemque exactae per gladiatores atque tertium relatae tandemque populo probatae, Prologo I, 6 sq.:

Et ís, qui scripsit húnc, ob eam rem nóluit
Iterúm referre, ut íterum posset véndere.

Quibus verbis nisi forte omnem sanam potestatem denegare Donatique explanationem repudiare melius est, nihil manifestius videtur, quam non solum ius in fabulam post unamquamque actionem ad auctorem rediisse, verum etiam eandem illam primam Hecyrae actionem, eosdem ludos Megalenses, eundem diem statim post pugilum gloriam declarari. Cf. Donat. ad h. l. Praeterea fieri non potuisset, ut, quod Suetonius Vit. Terent. 2. et Donatus in Praef. in Eunuch. testantur, cuius quidem testimonii ab utroque sine dubio e fabulae Didascalia etiamtum plena [20]) petiti vis apud utrumque alia esse omnino nequit, quantumvis adversetur

---

19) Ambivium fuisse et huius et tertiae actionis prologum eundemque actorem principem non modo in tertia Hecyrae actione, sed etiam in prima et secunda, quamvis Didascalia illud solum indicare videatur, id apparet partim ex Hec. Prol. II, 21 sq. partim ex Donat. ad Hec. Prol. II, 1. atque etiam ex eius Praef. in Hec., ubi quum continuo post commemoratos Ludos *Megalenses* et Aediles subiiciat: *egitque L. Ambivius*, manifesto primam actionem dicit. Quod nihilominus iam subsequitur: *factaque et edita quinto loco*, et tum demum: *Cn. Octavio, T. Manlio Coss.*, quorum Consulatu prima actio Hecyrae facta est; praeterea quod Donatus *C. Rabirium* pro altero Aedile *Cn. Cornelio Dolabella* tradit, de hac re partim infra, partim alio loco et tempore disputabimus.

20) Quod a Suetonio in Vit. Terent. memoriae proditur: *Meruitque* (Eunuchus) *pretium quantum nulla antea cuiusquam comoedia, id est, octo milia numum; propterea summa quoque Titulo adscribitur*, inde patet, hodie Eunuchi Titulum, cui illius summae, a Donato quidem in Praef. in Eunuch. certe ex eo ipso Titulo in *bonis exemplaribus* suis (cf. Donat. ad Andr. V, 6, 14) sua aetate nondum mutilo item commemoratae, indicatio desit, non esse quidem plenum, sed ab hac parte nihil amplius excidisse mihi videtur, quam sestertiorum notas easque breviores, quales in Inscriptt. leguntur (cf. Orell. 2691): II (II), ut S omittatur, pro HS (IIS) in Codd., adscriptis literis numerum notantibus, omissa voce *mille* et superducta linea mille significante, hoc modo: II $\overline{\text{VIII}}$ sive II $\overline{\text{VIII}}$ = octo milia sestertium. Et quum Donatus, cuius Praefationes ex hac quidem parte nihil fere aliud nisi Didascaliarum circumscriptio esse soleant, religiose plerumque servato rerum singularum ordine, postquam fabulae modos fecisse Flaccum narravit, iam de illo Eunuchi honore exponat, hoc loco pretii notas librariorum negligentia periisse sentirem, ex ordine quidem rerum in ed. Stallb., aliorum, exhibito, nisi is ipse male inversus esset, atque in enarranda hac Didascalia ab illa consuetudine Donatus ipse nonnihil discederet; alioquin sane quidem ibi notas perditas e nominum literis maiusculis, cuiusmodi deinceps succedunt, quum levi modo rationeque diplomatica eruere ac restituere liceret, tum quam facile illic oblini potuerint, perspiceretur. Sed sic quoque rationem a Donati more repetitam leviorem habenti mihi magis placet, eas notas ante mentionem Consulum post ACTA II ex bono quidem singularum partium ordine a Perleto observato et aptius positas fuisse et facilius potuisse obliterari et rectius ex legibus palaeographicis posse reponi, unde sumere licet, post notam II a librariis

Benfeius l. l. Praef., Eunuchus vel iisdem ludis (*Megalesiis*) uno eodemque die post primam actionem rursus Aedilibus Curulibus a poeta venderetur, quo eam iterum agere per auctorem liceret. Cf. Osann. Anall. critt. p. 143.

Sed iam paulisper interpelletur disputatio necesse est, non quo totam causam difficillimam eandemque amplissimam omnibus partibus absolvamus, quod ne huius quaestionis quidem est, sed ut rationem reddamus, cur Terentii Hecyram supra dixerim primum actam esse *ludis Megalensibus,* non *ludis Romanis,* quod Benfeius l. l., alii praeferunt idque ex omnibus fere Terentii Codicibus, atque Eunuchum iisdem *Megalesiis,* non *Romanis ludis,* etsi in ipso Cod. Bemb. exhibentur. Nam quantum hic tanquam πάρεργον proponere liceat, in hac perobscura necdum ullo ad diiudicandum signo reperto desperata quaestione de singulis ludis, quibus quaeque fabularum Terentianarum, Eunuchus, Hecyra, Phormio — de Andria, Adelphis, Heautontimorumeno non esse videtur controversia inter Donatum et veteres Terentii libros, qui contra de illis multi inter sese, plerique a Donato mirifice discrepant — quibus igitur ludis illae fabulae primum sint actae dum quaeritur, una nobis in his tenebris lux affulget, quam tuti sequamur et equidem sine dubitatione et simpliciter sequendam esse censeo. Dico aliquid haud ambiguum, quod reperitur apud Donatum, qui sic quoque vel idcirco, quod ut prae omnibus Terentii Mss. longe antiquissimus ita gravissimus huius rei testis est, in hoc genere solus audiendus esse videtur. Is enim in Praefatione in Eunuchum affirmat: *Acta plane est ludis Megalensibus;* in Praefat. ad Hecyram: *Acta sane est ludis Megalensibus,* idque adeo confirmat alio verbo in Commentar. in Hecyr. Prol. I, 1: *Haec primo data est sine Prologo ludis Megalensibus,* quum contra ipse Cod. Bemb. in Eunuchi Titulo ludos Romanos, in Titulo Hecyrae veteres Terentii libri plerique omnes eosdem ludos primae actionis fuisse velint. Nimirum quidem idem Donatus in Praefat. ad Phormionem ait: *Haec acta est ludis Megalensibus,* non addita affirmatione *plane* s. *sane,* tametsi dissensio fuisse videri potest, quum omnia, quantum scimus, Terentii exemplaria ludos Romanos indicent; atque in Praef. in Adelphos, quanquam nullam differentiam fuisse credideris, tamen *sane* dicit: *Haec sane acta est ludis scenicis funebribus L. Aemilii Pauli.* Sed hoc, ut alia, quae in ea re mira videantur, accuratius reputanti tibi non ita mirandum erit neque adeo difficile ad explicandum. Ubi enim nulla nobis proditur varietas, ut in Titulo Andriae et Heautontimorumeni — si quidem Donati ad hanc fabulam Praefationem, quam cum Commentariis perditam esse constat, cum Terentii exemplis congruisse recte sumimus, propterea quod Calpurnius, qui tam mira similitudine Donatum magnam fere partem reddiderit, cuius saltim in Heaut. Praefatio Donatianis Praefationibus quam ovum ovo

---

eandem alteram et, si velis, tertiam ex inscitia vel incuria esse deletam, itaque pretii notationem ex II M V sive II H M = H VIII eliciendam. At cave, *acta II* cum Benfeio, aliis, interpreteris *bis acta*, ut ad secundam quidem actionem magno illo pretio notis designato empta sit, ne eo ipso magis adducare, ut hunc ipsum notis locum esse statuas. Nam quid illud denotet, post haec infra explicabitur.

similior sit, in ea ipsa tacet — ibi nulla fuit. Ubi vero nulla quidem fuisse videtur discrepantia, quod nulla expresse traditur, tamen aliquam fuisse accipendum est, si Donatus ait *sane*, ut in Adelphis. Ubi autem dissensus fuit, sed a Donato omittitur affirmatio, ut in Phormione, quum voculam *plane* sive *sane* ibi intercidisse nihil signi detegatur, aut Donatum consulto, quod iam bis terve ad priores fabulas dixisse satis habuerit, nunc non denuo repetivisse, aut eius aetate controversiam nondum fuisse aut ipsum fugisse, quod apud suos auctores non reperisset, aut leviorem ipsi visam esse diversitatis, qua ludi illi fuerint Romani, auctoritatem, statuendum est. Ubi denique Donatus diserte adiecit *plane*, ut in Praefat. ad Eunuchum, vel *sane*, ut in Praefat. ad Hecyram, aliosque ludos, sc. Megalenses pro Romanis, affert, profecto dubium esse nequit, quin et propter rem controversam adiecerit et ex critica ratione fecerit. Utique vero hoc semper tenendum erit, illa affirmatione *plane, sane,* certo declarari, Donati aetate atque haud dubie iam multo antea, ut Varronis tempore, quem de eiusmodi rebus scenicis in pluribus scriptis Donato, ut supra vidimus, vix ignotis, quemadmodum in celeberrimis libris *de Poetis,* in *Theatralibus* s. *de Actionibus Scenicis Libris* quaesivisse accepimus, de ea re controversiam inter viros doctos fuisse, ac Donatum, virum criticum, qualem supra cognovimus, vix sine idonea auctoritate et argumentis non tam quid veri similius quam quid verum esset, asseverasse. Igitur contenti simus hoc Catone. Sed haec et quae de Comoediarum Terentianarum ordine primaeque actionis tempore quaestio subtilior est et perdifficilis, quaeque inter Donatum et Didascalias de hac aliisque rebus pugna partim revera, partim in speciem est, alias fusius erit tractanda. Interim praeter id quod modo paucis dabamus, quid numerorum notas in Didascaliis et apud Donatum indicatas designare necesse sit, de ea re infra exponemus. Vide quid de hac et aliis difficultatibus acutius, opinor, quam verius, certe satis dubitanter et varie sentiat Benfeius l. l., imprimis in Praefat.

Iam quod ad censurae criticae rationem attinet, distinguendum esse existimo inter fabularum *lectionem* sive *recitationem* et *actionem scenicam privatam,* speciminis causa factam, ante publicam, remotis omnibus arbitris ab actu alienis. Utraque igitur privatim fiebat, et illa quidem ab ipso fabulae auctore, qui vel Aedilium Curulium iussu vel si quis alius ludos scenicos paraturus erat, apud censorem, quisquis erat, ab ipsis constitutum in domo eius fabulam legebat s. recitabat, quod efficitur ex Sueton. Vit. Terent. l. supra allato, ubi Suetonius narrat: — *primam Andriam quum Aedilibus daret* (Terentius), *iussus ante Caecilio recitare. Ad coenantem quum venisset, dictus est — subsellio iuxta lectulum residens legisse* —; tum ex Hieron. Chron. Euseb. l. l., ubi Hieronymus refert: — *qui* (Terent.) *primam — Caecilio multum se miranti legit.* Altera autem instituebatur in pulpitis, ubi histriones sive magistri cum gregibus ab Aedilibus sive aliis ludorum habendorum curatoribus apud designatum iudicem atque ipsos ludorum curatores, remotis plerumque quidem aliis praeter poetam arbitris, comoediam *agebant.* Cuius rei indicio est Terent. Eunuch. Prol. 22:

Magistrátus quum ibi adéssent, occeptást agi.

Sed etiam huic actioni privatae non semper adfuisse magistratus, immo, si recte video, non aliter nisi in nova quadam causa, ex hoc ipso Terentii loco et rei ibi narratae ratione, ut opinor, colligi potest. Sive autem in domo censoris sive in scena, sive in praesentia magistratuum sive his absentibus, fabula censa erat, semper censoris fuisse consentaneum est, ludos scenicos facturis referre de fabula sive recitata sive acta quid sui esset iudicii, quae sua existimatio, ut illi haberent auctorem, quo, si comoedia placuisset, emerent, si displicuisset, reiicerent.

Ita sane nova quaedam quaestionis nostrae summa et exitus in eo consistunt, ut tota censura scenica, quae adhuc videbatur publice instituta, ad rem privatam eamque voluntariam Ludos scenicos curantium et magistratuum et privatorum reciderit et tantum critica fuerit, ut iam Romanorum censura scenica, tamquam institutum quoddam publicum singulari XII Tabb. lege e republica factum ex eoque muneris officium Aedilibus Curulibus impositum, velut contra huius libelli inscriptionem nisi ex vulgari opinione non adoptatam in posterum proscripta esse videatur.

Nunc iis quae hactenus demonstravimus quibusque alteram quaestionem nostram haud modice illustrari iudicamus, cognitis atque constitutis, in eo quod incepimus exsequendo procedamus. Ac primum quidem videndum est, quo anno U. c. diem suum obierit Caecilius, ut, num quo et quanto temporis spatio inter se distent Caecilii mors et Andriae censura atque actio, exploretur. Hieronymus scribit in Chron. Euseb. Ol. 150, 2: *Statius Caecilius comoediarum scriptor clarus habetur; natione Insuber Gallus et Ennii primum contubernalis; quidam Mediolanensem ferunt; mortuus est anno post mortem Ennii et iuxta Ianiculum sepultus.* Quibus verbis quum Hieronymus annum, quo mortuus sit Statius, non satis accurate definiat, sed ad Ennii obitum nos reducat, iam audiamus ex eodem teste, quando e vita excesserit Ennius. Atque is dicit ad Ol. 153, 1: *Ennius poeta septuagenario maior articulari morbo periit sepultusque est in Scipionis monumento via Appia intra primum ab Urbe miliarium; quidam ossa eius Rhodiam ex Ianiculo translata affirmant.* Quum igitur diem supremum obiisse Ennium Ol. 153, 1, Caecilium vero anno post mortem Ennii, referat Hieronymus, annum, quo mortuus sit Caecilius, Olympiadis 153 secundum non voluisse videri non potest. Iam quamquam Hieronymus in eo errasse viris doctis videtur, quod Ennium septuagenario maiorem vita defunctum esse narrat, quum is, ex Wetzelii ad Cic. Cat. m. 5. ratione anno U. c. 514, C. Mamilio, Q. Valerio Coss. natus, annum septuagesimum, ex anno quidem a Catone Urbi conditae adsignato, sc. Ol. 7, 1 (cf. Niebuhr. Hist. Rom. P. I, p. 277, ed. 2.), transgressus esse non possit (cf. Osann. Anall. critt. p. 49), nisi forte verbis *septuagenario maior* non strictius quam necesse est sumptis, ut vel ad repugnantiam inter Ciceronem et Hieronymum cavendam sumpseris [21]), Ennii natalem ad

21) Id potius fieri debere affirmaveris, non solum quod verba Hieronymi admittant, sed etiam quod eo modo efficiatur, ut et error, cuius Hieronymus sine idonea causa arguatur, et dissensio inter ipsum

initium anni U. c. 514 reiicere eiusque diem fatalem ad exitum anni U. c. 584 deprimere mavis: tamen in anno mortis Ennii constituendo egregie consentit cum Cicerone, qui Brut. 20 et Cat. m. 5. Ennium tradit mortuum esse Q. Marcio Philippo, Cn. Servilio Caepione Coss., quorum Consulatus ex Catoniana annorum computatione in ipsum annum U. c. 584 s. Ol. 183, 1 incidit. Cf. Pigh. Annal. ad h. a. et Ernest. Clav. s. v. *Cn. Servilius* [22]). Quum vero, ut modo videbamus, eodem Hieronymo teste, anno post mortem Ennii de vita decesserit Caecilius Statius, eum quidem annum viri docti 585 U. c., L. Aemilio Paulo, C. Licinio Coss. esse statuunt; et quum, quod supra cognovimus, Andria Terentii in Didascalia M. Claudio Marcello, C. Sulpicio Gallo Coss., igitur secundum Catonianam temporum rationem anno U. c. 587 primum in pulpito acta denotetur, inter primam actionem Andriae et obitum Caecilii duorum annorum intervallum interiectum esse existimant. Etiamsi, quod infra cernemus, hoc spatium intermedium non recte determinatum esse videtur, tamen anni recte sunt computati, unde, sive Caecilius anno U. c. 585 sive, quomodo Hieronymi verba explicari posse mox docebimus, principio fere anni U. c. 586 mortem obiit, etiam magis perspicitur, quantus sit error eorum, qui alterum Aedilem Curulem anni 587, M'. Acilium Glabrionem, censorem constituerunt Andriae, quippe quam iussu Aedilium, qui anno, ubi mortuus est Caecilius, fuerunt, non posse non subiisse censuram iam satis appareat. Et haec reliqua illa ratio est, quam supra p. 6 significavimus. Sed praeterea propter illud ipsum temporis intervallum alii Caecilium Andriae censorem haberi non posse, alii Didascaliam ad proximam eamque secundam fabulae actionem necessario referendam esse contendunt, sive cum Duebnero post EDITA notam II inferamus sive intactam eam relinquamus. Illi, a quibus vel ipsum Fr. A. Wolfium stare vidimus, quantopere fallantur, quum disputatione superiore satis probatum esse videatur, de altera opinione iam restat ut disceptemus.

---

atque Ciceronem nulla sit, et quod monere videantur ipsa Ciceronis verba: *Nam hoc* (C. Sulpicio Gallo) *Praetore ludos Apollini faciente quum Thyesten fabulam docuisset, Q. Marcio, Cn. Servilio Coss. mortem obiit Ennius;* igitur ita contra Orell., alios editores, interpuncta et subtilius perspecta oratione Ciceronem non dicere: *quum primum* Thyesten *docuit*, mortem obiit Ennius, quare non plane statim post ipsam fabulae actionem, etiam quum Sulpicius Praetor ludos Apollini faceret, Ennium mortuum esse mense Quinctili, quo tum iam stato die et legitime quidem per unum diem, a. d. III. Nonas Quinctiles, lege Licinia Theatrali a. U. c. 546 lata, Liv. 27, 23 (cf. Stockmann. de Legg. Theatral. p. 13 sqq.), celebrarentur Ludi Apollinares (cf. etiam Rosin. A. R. V, 17, p. 339), sed Thyesten ultimam, quam illo anno ante mortem poeta docuerit, Ennii fabulam esse, sive quum celebratissimam illam fabulam docuisset, eodem etiam anno mortuum esse Ennium, intelligi velle Ciceronem, ut in ipsum quidem Sulpicii Praeturae annum, non autem in ipsos ludos a Sulpicio factos mors Ennii inciderit, qui quidem annus ita satis designatus sit, ut anni designari soleant, Consulum nominibus. Sed haec omnia fere neque necessaria esse neque apte in narrationis illius Ciceronianae rationem nexumque quadrare pluribus de causis censeo. Verumtamen idem assequemur, si hoc unum statuerimus, Ennium natum esse anni 514 primo vel secundo mense, ex quo usque ad anni 584 mensem Quinctilem efficiuntur anni septuaginta et quinque saltem menses = *septuagenario maior.*

22) I. Gronovius ad A. Gell. N. A. 17, 21 errore supra indicato Ennii et Caecilii mortem atque Andriae actionem uno quamque anno longius promovet.

Gravis illa artis criticae, omnium scientiarum matris, peritis exercitatisque rerum antiquarum perscrutatoribus paucioribus fortasse observata quam probata lex, ut quoties quantumque fieri possit, quidquid, ubiubi sit, literis mandatum a veteribus acceperimus, inviolatum explicare ante conemur, quam temerariam sive mentem sive manum adhibeamus, praecipue nostra in re eo religiosius colenda est, quo magis vetustatis Romanae a scriptoribus traditae, imprimis vero tot rerum chronologicarum vel incertam rationem vel obscuritatem vel ambiguitatem novimus. Sed utut haec sunt, Ciceroni et Hieronymo quum maxime propter eorum consensum fidem habentibus nobis iam est, ut modo videbamus, sumendum, mortuum esse Ennium anno U. c. 584 aut medio aut exeunte, prout Ciceronis locum intelligimus, ideoque si Hieronymi verba: *anno post mortem Ennii mortuus est* (Caecilius), subtilius accipere volumus, Caecilii dies fatalis protrahendus est ad annum U. c. 585 aut medium aut in exitum vergentem. Itaque si Terentius Caecilio funeri proximo Andriam censendam recitavit, inter censuram et actionem fabulae, quippe quae anno U. c. 587 Ludis Megalensibus tum pridie Nonas Apriles celebrari solitis (cf. Rosin. A. R. V, 13, p. 336) edita sit, aut annus et octo vel novem menses aut annus et circiter quattuor menses intercedunt. Quapropter assentiri non possumus Duebnero V. Cl. in Ephemerid. supra l. calculis male subductis opinanti, duobus annis plenis ante actionem Andriae in Didascalia indicatam mortem obiisse Caecilium eique Andriam paulo ante actionem recitasse Terentium. Neutrum enim ex vera temporis reique ratione pellucet neque aliunde deduci potest; nec Suetonius in Vit. Terent. (cf. l. supra l.) neque Hieronymus in Chron. Euseb. Ol. 155, 3 (cf. l. supra l.) aliquid tale narrat; immo nullo anni articulo censurae seu recitationi defixo ac prorsus indefinito inter censuram et actionem Andriae temporis intervallo nihil amplius referunt, nisi fabulam censori legisse poetam, priusquam Aedilibus vendidisset. Quin etiam uterque non modo non definiunt, qua anni statione fabulae recitatio facta sit, sed ne significant quidem, auctore Caecilio statim post censuram ab illius anni Aedilibus fabulam esse emptam, ut tantum breve quoddam et consuetum temporis spatium inter censuram atque emptionem actionemque interfuerit. Sed ut Aediles illius anni Andriam reipsa emerint, tamen quis est qui contendat, rem plane inexplicabilem esse et omnino fieri non potuisse, ut mora inferretur, quo minus fabula empta ageretur? Id vero demonstrare necesse esset, si iure statuere vellent quod statuunt. Ex his igitur quos solos habemus rei nostrae auctoribus ut ista omnia non audimus, ita nec discimus nec debebat iisdem quasi indicibus coniici, aut primam Andriae actionem a. U. c. 585 esse factam et idcirco Didascaliam, vel interpolato eius exemplo, ad alteram actionem referendam, aut contra fieri non potuisse, ut Caecilius, quippe demortuus, censuram in Andriam ageret, itaque et Suetonii et Hieronymi fidem esse infamandam. Id vero illinc persuasum nobis habemus, temporis inter censuram et actionem intermedii fuisse tantum, quantum ratiocinamur inde a morte Caecilii usque ad actionis annum diemque in Didascalia Consulibus et Ludis designatum, et huius quidem spatii circumscriptionem unice pendere ad alterum terminum certe ex Didascalia, ad alterum autem partim ex interpretando

Ciceronis loco l., partim ex mente verborum Hieronymi: *anno post mortem Ennii,* quae sane dubium non est quin interpretationi latitudinem quandam concedant. Hac quidem et eo, quod Ciceronis locum dare vidimus, laxamento a me quidem recusato sive utimur sive non utimur, quum tamen in utramque partem totius fere anni intervallum restet, prudentia critica semper admonere videtur, hoc unum relinqui, ut prius rei nobis quidem mirandae causam indagare studeamus, quam nova illa profecto longe incertiora, si minus aperte falsa, moliamur. Unde igitur venisse putemus, ut Andria ab intelligentissimo existimatore maximopere probata et magistratibus sine dubio valde commendata, vel minimo temporis spatio sumpto, saltem per duodecim menses non ullo inter tot sollemnia sacra sive stata sive imperativa per annum Romanum celebrari solita, quibus quidem ludi scenici coniungi consueverant, ut Megalesiis, Apollinaribus, Romanis s. Magnis, Plebeiis, Saturnalibus, quaecumque edere sive Curulis Aedilitatis erat sive Plebeiae [23]) sive alius muneris, ut Praeturae, in scenam produceretur?

Si quis omnium rerum, quae huc spectant, qualis tunc fuerit ratio, diligentius expenderit, haud unum certe probabile invenerit impedimentum, quominus Andria non continuo, sed satis multo post censuram acta sit. Prima enim fuit illa et nova novi poetae fabula; Terentii nomen ut Donatus in Praefat. in Andr. dicit, adhuc incognitum et ipse tum minoris apud populum auctoritatis ac meriti erat. Praeterea cogitandum est, aetatem illam inde a seculo sexto medio usque ad seculum septimum medium U. c. abundasse poetis comicis iisque maiorem certe partem clarissimis, Caecilio Statio, Luscio Lavinio, C. Sulpicio Gallo, Q. Fabio Labeone, M. Popilio (cf. Sueton. Vit. Terent.), Sexto Turpilio [24]) et fortasse etiam Terentio Libone Fregellano, ne dicam, Livii Andronici, Naevii, Ennii, Plauti, P. Licinii Tegulae fabulas etiamtum in scena fuisse celebratissimas, multosque alios comicos, maximam partem vel nomine ignotos, praecipue Plautinarum imitatores, partim praecurrisse partim aequales fuisse, quorum fere omnium comoedias et veteres et novas sane ignotae ignoti poetae fabulae praepositas esse non ita mirabimur. Quam multas fabulas vel propter hanc solam comicorum aemulantium et inter se concertantium multitudinem comoediarumque tum novarum tum veterum haud parvam

---

23) Quae Lindenbruchius de sollemnibus publicis Curulibus Aedilibus publico munere instituendis ex Euanthii commentariolo de Tragoedia et Comoedia narrat quaeque Perletus ad Didascal. Adelph. Lindenbruchio praeeunte repetit, Curulibus et Plebeiis permixtis nec distinctis locis et temporibus omnino distinguendis in medium prolata sunt. Priore autem utriusque Aedilitatis aetate non ulla unquam, neque pro locorum diversitate, munerum communio erat. Cf. Thibaut Civilist. Abhandll. VIII, p. 136 sqq. Heidelb. 1814.

24) Sextum Turpilium, quamvis multo post Terentium mortuus sit, tamen iam huius aetate fabulas docuisse, maxime credibile est ex eo, quod Terentius iuvenis ferme vitam finivit et Turpilium senem admodum mortuum esse tradit Eusebius Olymp. 169, 2, unde colligere licet, annum circa nonagesimum eum attigisse ob eamque rem utriusque natales paene in eundem annum cecidisse. Hic simile Accii et Pacuvii exemplum in memoriam revocare iuvat. Cf. G. I. Voss. de Poet. Lat. I, p. 6 sq. Turpilium et ipsum cum Luscio Lavinio aliisque poetis comicis ad notissimum illum Terentii aemulorum gregem accensendum esse cum eoque de palma in poesi comica decertasse perquam probabile mihi videtur.

copiam similem fortunam habuisse putas? Et sane quam variae eius fortunae causae a rerum statu derivari possunt! Sic aliter evenisse, ut Andria anno etiam diutius a pulpitis retardaretur, si animo concipere malis, facile fieri potuit, ut ipsi Aediles anni 585, siquidem hos Suetonius et Hieronymus dicunt, altero huius anni dimidio statim post censuram auctoritate Caecilii a Terentio non simpliciter, sed cum conditione comoediam emerent, qua, quum statis in reliquam anni partem ludis sua cuique fabula ex uberrimo promptuario iamiam esset assignata, imperativo aliquo ludo edendo quidem, sed ob aliquam rem non edito uterentur, et proximo anno 586 quum alii essent magistratus, Andriae censore et commendatore interea demortuo, a poetis insignioribus et prabatis magisque Terentio commendatis quas darent comoedias prae Terentiana acciperent, ut haec postero demum anno 587 sacris Megalesiis adornandis empta firmiter sit atque edita. Quid? quod tota causa vel ex ipso Andriae Prologo, ex Luscii Lavinii eiusque sociorum aemulatione, obtrectatione et maledictis in novum poetam primamque eius fabulam, potissimum ex conviciis illis in notam illam fabularum *contaminationem* satis et cognosci et explicari possit. Cur ad ipsam primam statim fabulam „*in Prologis scribundis operam abuti*“ coactus erat Terentius? Num compertum habemus, utrum intra illud temporis spatium sollemnia, quibuscum ludi scenici iungi solebant, omnia celebrata sint, an nescio quibus obstaculis prohibita? an iis saltem spectaculis, quibus Andria destinata erat, intermissa sint? an vero, si ludi revera acti sunt, datae sint comoediae ac non potius, causis quibusdam subito incidentibus, tragoediae? an denique scenici quidem ludi ab illis sollemnibus sacris pro illo tempore abhorruerint? Et ut nullam plane probabilem dilatae actionis causam ex temporibus mente fingere, nedum veram exquirere possimus, tamen quum nihil sit quod vetet, ne aliquam certe eius rei moram fuisse sumamus, praestat omnium coniecturarum verisimilitudinem negare et consentaneae rationis ignorantiam confiteri in eaque acquiescere, quam novitatis quiddam audacius excogitare, quod illaesis veterum testimoniis stare nequit.

At quae tandem, dicet aliquis, auctoritas est, cui Caecilium Statium iam anno U. c. 585 diem supremum obiisse testanti fidem abrogare nefas sit? Hieronymus, qui quanta auctoritate sit et diligentia, quum ab aliis tum imprimis ab Osanno Anall. critt. p. 45 de Livio Andronico, Naevio et Plauto, etiam de Ennio p. 49 demonstratum esse videtur, ut si quis eiusmodi testimonium repudiaret, nodum solveret uno ictu. Sane, sed gladio, quo scilicet nescio an iusto levius, prout in rem est, quos nunc, si quam opinionem sustentant, auctores tamquam locupletissimos adhibemus, nunc in eosdem, si cui opinioni obsistunt, haud cunctanter uti solemus. Licet igitur aliud tam facile concedere neque aliud negare velim, potissimum sine ulla dubitatione accipi posse, in constituendo mortis Caecilii anno temporis rationes non accurate subduxisse Hieronymum, qui fortasse, si illum annum Olympiade vel Consulum nominibus designasset, Olympiadem 153, 4 vel Consules M. Claudium Marcellum et C. Sulpicium Gallum, i. e., annum ab U. c. 587 indicasset: tamen in hac re iniquior esse nolim in Hieronymum, quem perquam probabile est verba sua *anno post mortem Ennii,* perinde ac minus definitum illud *septuage-*

nario maior, quod supra pernovimus, non quasi ad unguem resecari voluisse, ut, quum non duo anni pleni essent, non exacte unum annum, sed *circiter* annum i. e. annum et aliquot menses, quos tam diligenter exprimere noluerit, ipse in animo habuerit. Quod si statuerimus, Caecilius non ipso anno medio U. c. 585, sed, si minus anno demum 586 ineunte fere, saltem exitu anni 585 vita defunctus erit, quorum alterutrum eo lubentius amplectemur, quod hoc modo facilius componetur disceptatio. Sic enim Andria Caecilio paulo ante eius mortem recitata aut sub finem anni 585 Aedilibus in posterum annum designatis aut initio anni 586 iisdem munus nuper auspicatis censoris auctoritate quidem commendata, sed quum novi poetae fabula ac tanta nobilissimarum fabularum copia esset, sive quidquid impedimenti e rebus deducti cogitatur, solummodo a magistratibus unius anni non accepta, verum a proximis demum Aedilibus a. 587, Fulvio et Glabrione, empta primumque Ludis Megalensibus data est.

Iam vero quaecumque morae causa est, sententiae nostrae maximus cumulus accederet, si quod possemus, vellemus. Andriam enim non alio anno neque aliis ludis neque Aedilibus neque Consulibus, quam quibus Titulus testificetur, vere esse primum actam et omnia Duebneri, l. l., aliorum conata plane infelicia videri, quum ex summo scriptorum, quamquam non interpretum mente, de certa quadam re consensu, tum maxime ex ipsorum hominum doctorum, inter quos, licet non omnino suffragetur, etiam Benfeius l. l., quae communiter valet eius rei, quam dicimus, interpretatione evincere possemus, nisi veritas vetaret, qua postulante omnes praeter unum S. Petitum l. l., quem vero, licet rectum perviderit, iam pridem missum fecerunt, errasse haud infitiandum est. Etenim Suetonius in Vit. Terent. 2, Donatus in Praefat. in Andr. et Hieronymus in Chron. Euseb. Ol. 155, 3, ac Donatus quidem de Andriae actionis anno, ceteri autem de huius fabulae recitatione sive censura loquentes, quum uno quasi ore pronuncient *prima Andria*, a viris doctis ita intelliguntur, ut vocem *prima*, quam in triplicem sensum interpretari poteris, ad primam fabulae per se spectatae actionem, i. e., ad primam inter suas actiones referri velint. Quam quidem explicationem si admitteremus, sententia nostra adeo confirmaretur, ut non aliter quam summa cum temeritate, qua cunctorum rei nostrae testium conspiratio reprobaretur, posset infringi. Namque Donatus, cuius Praefationes in Terentii comoedias, ex illa quidem argumenti parte Didascalias tantum non ad verbum descriptas referentes, aut ex his ipsis aut ex primitivis rerum scenicarum monumentis, quod quidem propter reliqui argumenti rationem et nonnullam accessionem gravissimam, quum utrumque ab eo otiose excogitatum haberi vix possit, multo propius a vero abesse videtur, profectas esse contendimus, in Praef. in Andr. nos perdocet: *Haec* (Andria) *prima acta est Ludis Megalensibus, M. Fulvio et M'. Glabrione Aedilibus Curulibus — edita M. Marcello et Cn. Sulpicio Coss.* Quae hic a Donato traduntur, quum ab Andriae Titulo omnino non differant nisi una gravissima voce *prima*, certe non temere nec de suo addita, si haec ex mente auctoris significaret, quod communiter volunt, *primum* = *zum erstenmal*, huius ipsius additamenti auctoritate de primae actionis illius anno controverso satis praeclare in nostram gratiam deciderent.

Sed eam vocis interpretationem, cuius loco aeque facile eodemque iure aliam substituere possis, qua v. *prima* primam, quam Terentius omnino fecerit, fabulam designet, falsam esse, primo statim adspectu vel ex Suetonii loco supra allato cognoscitur. Suetonius enim si sub illa voce primam Andriae actionem intellegi voluisset, nihil aut saltem inane quiddam voluisset, quum hoc certe per se intelligatur; nam ante secundam vel tertiam actionem Aediles fabulam spectatam satisque notam Caecilio recitare Terentium, sane non erat quod iuberent. Quorsum igitur adiecisset *prima*, quod nemo non ipse cogitasset? Nec vero Hieronymum, qui in re parcius quidem narrata, undecumque traxit, iisdem fere verbis usus sit (cf. Hieronym. supra l.), id voluisse, in oculos incurrit. Atque idem in Donatum cadere nemo negabit, qui noverit, Suetonianam Terentii Vitam pleniorem eum in compendium redegisse. Quamobrem, etsi Tranquilli narrationem, id quod etiam vanum fuisset, quum totam rem iam in Vitae compendio perscripsisset, quo non pertinebat, ibi non retulit, tamen cum eadem illa voce apud eum redeunte eadem quoque ratio redire et quasi resonare videtur; et si forte ex ipsis fontibus Donatus cum Suetonio ut alias ita hanc rem deprompserunt, tamen rei natura et argumenti vis manent. Verum Donatus ipse omnem dubitationem tollit in ceteris ad Terentii fabulas Praefationibus, ut in Praef. in Adelphos, in Hecyram, in Phormionem, ubi perspicue declarat, quo sensu accipienda sit numeri notatio. Nusquam enim indicat, non magis quam Didascaliae idque planissime, quidquid contra dicitur, praeter unam Hecyram, cuius vero rei quam alia omnino ratio sit, extemplo edocebimur — nusquam igitur in Praefatt. indicat, quota vice eadem fabula sit acta, sed quoto loco sive quota inter ceteras Terentii comoedias fabula aliqua et facta et edita sit temporis ordine. Quod vero maximi momenti est, cum Donato consentiunt etiam Didascaliae in hac ipsa re ab eo diligenter redditae atque expressae, eae quidem, in quibus idem eadem notione — non ea, quae Benfeio, quamquam quodammodo ambigenti, aliis placet, male quidem et in maximam totius rei perturbationem — indicatum reperimus, velut in Didascal. Eunuchi (cf. supra Annot. 20), Phormionis, sive Donatus his Didascaliis in numeri designatione adstipulatur, ut Didascaliae Phormionis, sive refragatur, ut Didascaliae Eunuchi, cuius quidem rei quae sit ratio, infra cognoscemus, tamen diversa designandi ratio, quarum una notis, altera vocibus utitur, diversum in ea re sensum habere non potest. Atque adeo ab Edd. Ven. exhibetur in Titulo Heautontimorumeni aperta quum verborum Donati: *Haec prima acta est*, tum numerorum, qui in Titulis sunt, quasi explicatio, vocabulo pro nota posito: ACTA TERTIA pro ACTA III.; et quod maius est, in Vet. Cod. Petr. Danielis legitur pro illis Donati verbis: *Haec prima acta est Lud. Megal.: Haec prima facta est, acta Lud. Megal.;* atque in Titulo Eunuchi in Cod. Bemb. pro ACTA II.: FACTA SECVNDA, quod non recte interpretatur Benfeius, qui ad Didascal. Eunuch. et in Praef. quid in hac re rationis sit vv. *facta, acta, edita,* imprimis quam vim habeat verbum *edendi*, decipitur, quum *edere* non aliter quam *dare* de Aedilibus valeat (non de auctore: *herausgeben*), perinde ac Bothius ad Didascal. Phorm. fallitur, quia in quaestione

chronologica ibi nihil interest, utrum fabula *facta* an *acta*, *data* an *edita* audiat, et quodvis ad actionem, ad tempus refertur, ut hinc actus faciendi de poeta, illinc agendi de histrionibus, dandi et edendi de magistratibus vel ludorum curatoribus, omnes eiusdem temporis (anni) esse cogitentur. Quapropter eatenus quidem nihil refert, in Didasc. Eunuch. cum Bembino *facta* legamus, an cum reliquis libris *acta*; atque id ipsum est, unde in singulis Didascaliis nata esse videtur haec lectionis varietas. Itaque in Didasc. Phorm., ubi scriptum est FACTA EST IV., in eam quidem partem idem valeret ACTA EST IV., et vice versa in Didasc. Eunuchi, ubi invenitur ACTA II., si esset FACTA II., et si Didasc. Heautontim. haberet FACTA III. pro ACTA III. Nunc enim non quaerimus nisi de re; de verbis alia est quaestio eaque critica de vera lectione: quid genuinum sit, *acta*, *facta*, *data* an *edita*; an potius, quae nostra est sententia, Titulorum scriptor vel scriptores, quicumque fuerunt, quae nova quaestio est, ipsi verbum variaverint, ut in hoc Titulo scripserint *acta*, in illo *facta*; modo *data*, ut infra in Hecyrae Titulo videbimus, modo *edita*, ut alias ostendemus; ac per se patet, in unaquaque Didascalia, si qua est illorum verborum varietas, quod ex iis auctoris esse videatur, praecipue veterum exemplorum auctoritate diiudicandum esse. — Quae vero confectionis et actionis notam exaratam non exhibent Didascaliae, ut Andriae, Adelphorum et Hecyrae, in iis primitus exaratam quidem eam fuisse, sed postea esse exstinctam contendere vel propter numerorum liturae aut depravationis facilitatem nullus dubito atque levi opera tum posse refingi tum debere sentio, et quod apud Donatum in Praefatt. ad illas fabulas haec notatio, numeri vocabulo quidem reddita, et quod in ceteris Didascaliis Eunuchi, Heautontimorumeni, Phormionis reperitur. Vid. aliud liturae exemplum luculentum supra Annot. 20, et depravationis documentum in Titulo Hecyrae infra recognoscendo. Neque ambigendum est, quin ex Titulis ipsis aut ex alio quodam de rebus scenicis scripto uterque, et Suetonius et Donatus, illud indicium trahere non tam potuerint quam revera traxerint. Praeterea autem quem nos adsciscimus, verum esse notae illius sensum, non quem etiam Duebnerum ex additamento suo, quod paulo post iudicabimus, accepisse apparet, satis comprobatur vel verbo apposito, quod plane non aliam nisi nostram interpretationem admittit, sc. *facta est*, ut *facta est IV.* in Didasc. Phorm., *facta secunda* in Didasc. Eunuch. in Cod. Bemb., et apud Donatum in Praef. in Hecyr.: *factaque et edita quinto loco.* Neque si duas Andriae actiones, quam ad rem descendere et Suetonium, Donatum et Hieronymum vitii insimulare Duebnerus cogitur, hi scriptores inter se contulissent, *primam*, sed *priorem* scribere debebant. Sed etiam quod in una Hecyrae Didascalia *primo, secundo* [25]), *tertio*, quae sane ad repetitas eiusdem fabulae cum ceteris non comparatae actiones spectant, legitur, id quum plane aliud sit et quo singularis huius solius ex fabulis Terentianis fortuna singularesque ipsius repetitiones et pericula distinctiora sint, prorsus

---

25) Quod ad hanc quidem rem nihil facit, *secundo* depravatum esse, paulo post demonstrabitur, ubi de Hecyrae Didascalia in pristinum restituenda agitur.

necessarium, iudicio nostro non obstare, vix est quod moneamus. Nam, ut unum afferam, Donatus ipse illam Hecyrae fortunam enarrat in Commentar. in Hecyr. Prol. init., ubi vero scribit: *Haec primo* (non prima) *data est — postea data est — tertio ad postremum introducta*, pariter atque Hecyrae Didascalia non numeri notas, ut ceterae omnes, in quibus illud notatur, sed verba habet; contra in Praef. ad eam ipsam Hecyram expresse et eadem illa mente dicit, eam fabulam *factam* et editam esse *quinto loco*, quod, ut et hic velut per transennam dicam, quemadmodum multa alia hoc genus, illum non de proprio sumpsisse, sed ab auctoritate aliqua mutuatum esse animadvertere pergimus, ut cur hoc Donati testimonium S. Petitus l. l. quovis pacto damnaverit, nihil iustae quidem causae nos deprehendere fateamur.

Ceterum haec et aliae res, quae ad comoediarum Terentianarum Didascalias et Prologos Donatique Praefationes pertinent, inter alia sane etiam quomodo, quae sive reipsa sive in speciem sunt, quum maxime notationum, de quibus modo dicebamus, inter Didascalias et Donatum diversitates, sint tollendae (cf. Benf. l. l.), tempore suo copiosius tractandae sunt. Unam ex illis quaestionibus hic uno velut digito tangere voluimus idque eo solo sonsilio, ut quam Suetonius, Donatus atque Hieronymus sub v. *prima* sententiam subiecerint, demonstraremus, nimirum ordine sive tempore primam esse Andriam et factam et editam, ratione reliquarum quinque Terentii comoediarum habita; simul vero ut vel his paucis Duebnerum convinceremus, non recte facta esse, quae non solum in Titulum Andriae, sed eo ipso etiam in ceteros Terentii fabularum Titulos fecerit. Etenim ut taceamus, quanta sit communis inter auctores nostros praecipue vero inter Donatum et Didascaliam Andriae, quam paulo ante ostendimus, consensio, modo universam Titulorum nostrorum rationem acutius circumspexisset, certe opinionem non concepisset, difficultatem chronologicam, qua Andriae Titulum laborare putabat, levissima removeri posse emendatione: EDITA II. M. MARCELLO rel., ita quidem, ut notae II. secundae Andriae actionis significationem attribueret contra eiusmodi notarum in Titulis usum. Sed ut revera aliquid tale exciderit, nescio cur eam ipsam notam II. statuere opus sit; profecto enim eodem iure III., quin etiam IV. accipere liceret, quod aeque facile fieri potuit, et ut intercideret utrumvis et ut Andria intra biennium a Duebnero sumptum ter vel quater ageretur. Ac quod permirum est, Vir Cl. non percepit Osannum in Anall. critt. p. 144, minime vero obscurum, adeo errore captus, ut id ipsum suum esse crederet, quod Osanni est, quippe qui non alteram Andriae recensionem, sed alteram fabulae actionem manifesto constituat, ita tamen, ut Didascaliam neque attentandam esse censeat neque ipse attentet. Osannus autem in eo errasse nobis videtur, quod ut controversiam tolleret, non secus ac Duebnerus Didascaliam ad secundam fabulae actionem referri iubebat. Num vero ex Prologo Andriae nostrae altera actio, ad quam ille spectet, probari possit, id si deligentius examinare operae pretium fore duxeris, nihil aliud profeceris, nisi ut revera eum ad primam pertinere concedas. Postremo sane praestare Duebnerus largietur, Didascaliarum auctoritatem ea, cuius Freinshemium Suppl. Liv. L. XI. in loc. L. XLVI. T. XII. p. 613 ed. Drakenb. redarguit,

cum credulitate sequi, quam sine gravissima causa repudiare. Et quomodo Vir Cl. pervincet, Aedilitatem M. Fulvi et M'. Acilii Glabrionis atque Consulatum M. Claudii Marcelli et C. Sulpicii Galli in diversos annos incidere? Saltem non prius quidquam in Didascalia mutandum erit, quam illud ostenderimus; neque tam facile affirmare licet, omnino in Didascaliis Consulum annum in annum Aedilium plerumque non quadrare, aut quod omni et verisimilitudine et argumento caret, Consulum nomina posteriore demum tempore esse subiuncta et ab initio tantum Aedilium nomina in fronte fuisse inscripta. Nam ut hoc uno occurramus, num Aedilium nominibus a Romanis definiri solebat annus, quo aliquid factum esse indicandum erat? an illis monumentis principio defuisse putas temporis designationem? Neque forte eo confugiendum est, ut duarum Didascaliarum confusio statuatur; si enim duplicem Andriae Didascaliam neque ante Donatum neque eius aetate fuisse supra alio quidem verbo recte declaravimus, atque ut vere una fuerit, ex Donati et Didascaliae consensione ab omni parte unanima praeter unam voculam, cuius qualis sit ratio, iam cognovimus, haud ambigue efficitur, postea duas exstitisse quis est cui credibile videatur?

Ut autem duplicem Andriae Didascaliam fuisse non ullum indicium apparet, sic in ceteris quoque Terentii Didascaliis nullum eius rei vestigium deprehenditur. Contra vero etiam triplicem habemus, quae quidem est Didascalia Hecyrae, sed quasi in unum redactam, quam statim videbimus rectis lineolis a nobis in tres distinctam. Hanc videlicet singularem nonnullarum Didascaliarum rationem, ab iterata comoediarum, quae semel vel bis, ut Hecyra, cecidissent, profectam, eo nomine, nisi omnia fallunt, solam fuisse consentaneum est, et in hoc uno genere exstitisse facile largiemur numero plures eiusdem fabulae Didascalias, sed eodem illas in unamquamque fabulam tempore et ab uno eodemque auctore, ita quidem qualis Hecyrae Didascalia est, singulis rebus congestis compositas, ut ex eo modo, quo ea ipsa comparata est, perspicitur. Altero autem nomine nunquam plures quam unam cuiuslibet comoediae Didascaliam scriptam esse vel idcirco planum videtur, quod nihil intererat nisi ut de prima fabulae actione Didascalia conscriberetur ad eius rei memoriam posteritati tradendam, non vero de posteris actionibus, et quod de prima plures inter se magis minusve diversas principio literis consignatas cogitare inutile est atque inane, praeterquam quod posterius quidem exortae sunt nonnullae singularum rerum varietates de iisque inter veteres viros doctos quaestiones diversaeque sententiae, velut de ludis, quales supra cognovimus, et quae sane rursus in diversa literarum memoria, sed minime a Didascaliarum primordiis derivanda, positae sunt. Quibus de rebus accuratiora magisque confirmata iam nunc pernosceremus, si hoc loco in singula argumenta inquirere liceret. Ita enim reperiremus, quae vera atque propria apud Romanos in re scenica fuerit notio v. *Tituli*, cuius mentionem faciunt Suetonius in Vit. Terent. et Donatus in Fragmento de Comoed. et Tragoed.; quomodo Romanum Titulum ab origine comparatum fuisse ex his ipsis auctoribus liqueat, potissimum vero e Donato, qui, quod maximum est, in ea ipsa Praefationum ad Terentii fabulas parte, ubi Titulum exponit, non magis voce *Tituli* quam *Didascaliae* semel

nequam utatur; profecto utrumque ut recte ita consulto, aut, si quo alio loco, certe illo v. *Tituli* usum non inveniri iure miraremur; deinde quantum a Graeca Didascalia non solum quae a nobis vocatur Romana Didascalia, id quod inter omnes constat, verum etiam ut multo magis *Titulus* differat; quam anguste valuerit Titulus scenicus, ut Didascalias Terentianas, quales sunt, igitur omnino nostras Didascalias vi et potestate sua nullo modo complecti possit, quamquam hoc vocabulum, quum latinum sit atque scenicum, praeferendum videtur Graeco a re etsi minus quidem, tamen item alieno, ut nos considerate praetor consuetudinem vulgarem in his quaestionibus saepe usurpaverimus, speciatim vero in Didascaliarum (Andriae et Hecyrae) inscriptione ex principali in hac re atque unico Romanorum veterum usu, quamvis non propria significatione, praeferre non dubitaverimus. Videremus, Didascalias quales Terentii sunt, fabulis eius neque aetate aequales, neque Terentium ipsum illarum auctorem esse posse, quod utrumque Benfeius opinatur, nec verum videri, quod idem arbitratur, nos hodie Titulos habere tales, quales in universum fabulis, quum a Terentio ipso, ut verisimile sit, ederentur, eas inscriptas esse sumit, propterea quod, si ita esset, eiusmodi Tituli longe aliter quam nostri comparati non esse non potuissent, igitur etiam nunc forent. Ne plura, praeter haec et alia aliquatenus intelligeremus etiam ex parvis aliquot Plautinarum fabularum Titulis, pleniorum quorumdam reliquiis, sed certe iam ab ipsa compositoris, non inventoris, editorisque manu brevioribus et ad Terentianas Didascalias imperfectis quibusdam, vel rectius ad principalium Titulorum similitudinem partim et una quidem ratione propius accedentibus, altera vero a principalibus Titulis discedentibus — igitur etiam ex his fragmentorum vestigiis, si cum Terentianis Didascaliis conferremus, aliquatenus intelligeremus, quae pristina et propria Titulorum Romanorum forma, quod argumentum fuisse videatur, quo fieret, ut quod Donatus in Fragm. de Com. et Trag. atque in Praefatt. ad Terent. ea de re memoriae prodidit, confirmaretur; praeterea vero sine ulla dubitatione contra Benfeium constituendum esse, quae fabulae Plautinae hodie Titulos non habeant, eas principio habuisse illosque nescio quo fato iniquo temporum iniuria interiisse, atque omnibus omnino Romanorum comoediis initio fuisse suum cuique Titulum cum ipsa fabula quasi natum, propterea quod is ad primam cuiuslibet novae actionem plane necessarius, cum ipsa primae actionis natura coniunctus esset et priusquam histriones in scenam prodirent, spectatoribus nunquam non pronunciandus, nisi forte et Donatus tum l. l. tum in Praefatt. in Terent. et velut res ipsa et omnia rei indicia fallant.

Facere non possumus, quin prae ceteris unum idque nunc proximum et principale de iis, quae affirmavimus et quorum nihil nisi partim summam ex quaestionibus nostris profectam, partim solos indices quosdam afferre potuimus, insigni exemplo comprobemus, ut, quod in una Didascalia vix fieri potuisse intellexerimus, id neque in reliquis factum esse concedamus et adversus Duebnerum propugnemus ac tueamur. Didascaliam Hecyrae dicimus. In hac enim Cn. Octavius et T. Manlius Torquatus Consules ut non ad finem, quemadmodum in ceteris quinque, apponerentur, sed in ipsam mediam sese quasi insinuarent, id accidisse satis novum est.

Quod quo magis oculis subiiciatur, potissimum vero ut haec Didascalia in praesentia quidem praecipue ab una parte, quae maximi est momenti, in integrum restituatur vetustaque corruptione ab omnibus quidem cognita et confessa, sed conatibus adhuc captis haudquaquam sublata, nunc certo, opinor, liberetur, totam eandemque ita quidem emendatam huc transcribere iuvat.

P. Terentii Hecyrae Titulus.

ACTA LVDIS MEGALENSIBVS SEX. IVLIO CAESARE CN. CORNELIO DOLABELLA AEDILIBVS CVRVLIBVS. NON EST PLACITA. MODOS FECIT FLACCVS CLAVDI L. TIBIIS PARIBVS. TOTA E GRAECA APOLLODORV FACTA EST. ACTA PRIMO SINE PROLOGO. DATA SECVNDA (II.) CN. OCTAVIO T. MANLIO COSS. — RELATA EST L. AEMILIO PAVLO LVDIS FVNEBRIBVS. NON EST PLACITA. — TERTIO RELATA EST Q. FVLVIO L. MARCIO AEDILIBVS CVRVLIBVS. EGIT L. AMBIVIUS TVRPIO. PLACVIT.

Hecyra primum sane acta est *Megalensibus* Ludis, non *Romanis,* ut secundum plerosque omnes quidem libros scriptos Benfeius censet, cuius rei rationem supra aperuimus.

De CLAVDI L. vide supra p. 1 sqq.

Praepos. E ante GRAECA coagmentatione cum proxima lit. G ob similitudinem perdita et reponenda esse mihi videtur, quod construendi lex de v. *facere* eo quidem sensu postulat et eadem eodem modo in eadem re adhibetur in Didasc. Adelphorum, ubi item, quamquam in aliis Mss. servata, in aliis tamen deleta est et ab editoribus recte recipi solet: *Facta e Graeca Menandru.*

Iam vero ut manifestum ita gravissimum et antiquitus propagatum vitium est: *Data secundo,* quo vitio omnia fere miscentur. Id certum est, plures quam tres illas Hecyrae actiones Didascaliam ipsam dicere omnino non posse. Atqui si, ut Benfeius recte animadvertit, *data secundo* genuinum foret, inde quattuor actiones efficerentur, et quod sequitur *tertio relata*, in *quarto relata* vertendum esset. Sic vero nova pravitas accederet et augeretur perturbatio. Nec quod saltem fieri debebat, nemo autem adhuc fecit, verba ita interpungi et

explicari possunt: *Data secundo, Cn. Octavio, T. Manlio Coss., relata est L. Aemilio Paulo Ludis funebribus*, i. e., ab Aedilibus data secundo (nam de Aedilibus valet *fabulam dare*), igitur quum ab Aedilibus datum esset, ut secundo ageretur, sive quum secunda actio data, permissa esset, relata est etc. Sed huic rationi obsistit temporis computatio. Namque inter Cn. Octavii et T. Manlii Consulatum et L. Aemilii Pauli Ludorum funebrium celebrationem quinque annorum spatium interfuit. Idem cadit, ut bene monet Benfeius, in id quod Bothius facere ausus est, ut *Relata est* ante *L. Aemil. Paul.* eiiceret. Nec felicior Benfeius ipse fuit quod vv. *Data secundo,* quum pro glossemate vv. *Relata est* haberet, exclusit. Non enim dicam, extrudere quoquo modo audacius esse et mendum alia ratione corrigere, si facile fieri possit, semper multo praestare, ad hoc generatim Didascaliis nostris nonnihil quidem detractum, haud quidquam vero additum videri, sed mirum sane, quod insolitum et insulsum, glossema est et loco et sensu, quum a vv. *Relata est* remotius sit et satis inepte illustrare velit, quod per se est planissimum. Ecce quam inane et inscitum! Fac primitus scriptum fuisse: *Acta primo sine Prologo, Cn. Octav. T. Manl. Coss. Relata est L. Aemil. Paul. Lud. funebr. — Tertio relata est* — si quis ex his fecisset: *Acta primo sine Prologo. D a t a s e c u n d o Cn. Octav. T. Manl. Coss. relata est — Tertio relata est* rel., quid, quaeso, sibi voluisset ista interpolatio, ista secundae actionis designatio? Haec enim clarissima videtur et vv. *relata est*, et iis quae antecedunt: *Acta primo,* et iis quae subsequuntur: *Tertio relata est.* — Itaque levi mutatione emendandum esse equidem iudico: *Data secunda,* h. e., ex fabulis Terentianis Hecyra est secunda, quae data est. Vide quam apte iam omnia ex omnibus partibus quadrent et explicentur. Primum enim revera prima Hecyrae actio, quae in hac Didascaliae parte indicatur, inter sex Terentianarum actiones facta est secundo loco, et quoto quaeque loco acta sit, eius rei denotationem, quum in tribus Didascaliis inveniatur, in reliquis tribus haud dubie a principio fuisse atque facile reparari posse et reparandam esse supra ostendimus. Deinde quem nunc restauravimus, is ipse locus est, ubi haec nota vel nomen numerale in Didascaliis ponitur, sc. ante nomina Consulum, ut in Didascalia Heautontimorumeni, Phormionis et Eunuchi. Tum quum *Acta primo* praecedat et *Tertio relata est* subsequatur, nihil magis consentaneum videtur, quam *Data secunda* in *Data secundo* esse mutatum. Denique recuperavimus etiam in Hecyrae Didascalia illam ordinis, quae ibi, ut in Didascaliis Andriae et Adelphorum, adhuc defecit, significationem, ut iam in quattuor Terentii Didascaliis eam habeamus simulque v. *data* in eadem re usurpatum, quam supra diximus ita quidem nihil differre, utrum v. *facta* an *acta, data* an *edita* designes, ac praeter exempla ibi prolata nunc novum praesto sit ad declarandum sive notarum numeralium sive nominum ordinalium in Didascaliis significatum. Postremo nostra medela non necesse est quidquam quodammodo de vivo resecari, quod Benfeius et Bothius perpetrant.

Quod superest, nomen numerale, quod quidem supra non diximus nisi habita diversae lectionis ratione, neque in Titulo Eunuchi, licet optimus quidem Cod. Bemb. exhibeat, neque in Titulo Hecyrae, quamvis in omnibus Codicibus, si quidem recte edocti sumus, inveniatur,

auctoris manum scripsisse, sed ut in Heautontimorumeni et Phormionis, ubi nulla est Codicum discrepantia, ita in ceteris Titulis notam numeralem usurpasse ad indicandum quidem fabularum ordinem, igitur nomen in notae locum interpretamenti causa satis mature quidem successisse, nec vice versa, id iam fere in omni genere tam perspicuum videtur, ut singulis eius rei argumentis in medium proferendis supersedeamus. Itaque quamquam supra in Titulo Hecyrae *secunda*, nota numerali uncis inclusa, typis describi iussimus, quod quidem ibi debuimus, tamen ut auctoris manus restituatur, notam II. loco nominis ordinalis scribendam esse contendimus.

Neque vero, ut unum defendamus, adversatur, quod Eunuchum quoque esse actam II. (*factam secundam* in Cod. Bemb.) Didascalia refert, ut non item Hecyra data secunda dici possit. Nempe hoc speciosius quam verius est. Nam dubitari nequit, quin in ipsa antiquitate duplex fabulas Terentianas ex actionis tempore numerandi ordo esset, cuius rei causa in ea ipsa Hecyra posita est, nimirum quod haec fabula post Andriam secunda quidem acta, sed non peracta, et quattuor circiter annis post iterum acta nec peracta, et tertium acta est, ubi tandem populum detinere eamque peragere contigit. Sic prima Hecyrae actio perinde ac secunda altera quidem ratione velut pro nulla erat, altera tamen utraque publica actio fuit, ut annumerari posset. Unde duo ordines exstiterunt, quorum alter non prosperas Hecyrae actiones respiciebat, alter non respiciebat, et illum quidem sequuntur Didascaliae, hunc autem Donatus, sed ita, ut aperte ex altero in alterum ordinem nonnunquam aberrasse videantur. Plura utriusque rei apud utrosque exempla in promptu sunt. Utrumque autem, et duplicem ordinem valuisse et quem Didascaliae observaverint, diversum esse ab eo, quo usus sit Donatus, ex utrisque certo cernitur. Hinc omnis huius rei, partim etiam apud Donatum et in ipsis Didascaliis, in posteriore utique vetustate orta confusio, idque ab una illa eaque maxima parte, ab altera vero partim ex eo, quod duae fabulae eodem anno et iisdem ludis deinceps actae sunt, ut Phormio et Eunuchus Ludis Megalensibus a. U. c. 593, atque Hecyra secundum acta et Adelphi Ludis funebribus L. Aemilii Pauli a. U. c. 594. Quam perturbationem expediendam dilucidandamque praepropere desperasse videtur Benfeius in Praef. ad. Ter. Etenim prout numeratur, Hecyra secunda est et ex actionis tempore et ex Didascalia a nobis emendata, siquidem spectatur prima actio; et rursus non est, immo quinta, quam vocat Donatus, siquidem spectatur secundum idque iisdem ludis cum Adelphis acta, ubi sane Donatus, quamquam Hecyram primum actam ut non peractam ex ordine movit, iam mire quidem, sed ratione quadam alias enucleanda ductus, eandem item non peractam in ordinem recipit. Deinde quum apud Donatum tertia sit Eunuchus (sc. ex eadem ordinis ratione inter Eunuchum et Phormionem, quae est inter Hecyram et Adelphos), non minus recte Heautontimorumenos tertia nominatur in Didascalia, quippe quae spectet Hecyram ut secundam, quae si non spectaretur, Heautontimorumenos esset secunda, ut sine dubio apud Donatum in Commentariorum deperditorum Praefatione fuit. Quare Benfeius male suadet, ut nota II. pro III. in Didasc. Heautontimorumeni substituatur. Tum Phormio ex necessaria consecutione quarta est in Didascalia, item apud Donatum, quia ibi Eunuchus tertia est, et sic deinceps. Hac sola via

omnia optime explicantur, praeterquam quod Eunuchus ut ex utrovis numerandi modo ita ex actionis tempore secunda esse plane non potest, tamen in Didascalia secunda notatur, quod ut evidentius explanetur, alia arte opus est. Sed quae huius rei propria ratio esse videatur quum fusius exponendum sit, nunc haec hactenus atque alias pluribus, his duobus tantum additis, geminam fieri posse istius rei explicationem satis probabilem, quarum alteram quidem ex rationibus illustribus multo potiorem habemus, nec tamen adscita illa quam supra refutavimus, quae notam II. *bis* significare iubet, atque ex altera explicandi ratione ἀνάλογον offerri illud specie quidem absurdum et inextricabile in Praefat. Donati in Adelphos: *Hanc dicunt ex Terentianis secundo loco actam*, quod quidem indicium non minus quam illud in Titulo Eunuchi tum utrique numerandi usui tum certo actionis tempori illudit, non tamen explicationi satis idoneae, in qua acquiescamus.

Iam quod restat, *L. Aemilio Paulo* in L. Aemil*i* Paul*i* vertendum esse per se intelligi ait Benfeius, commotus, ut videtur, insolenti structura eoque quod altera vulgaris usurpata est in Adelphorum Didascalia. Sed recte Perletus in Annot. ad Didasc. Hecyrae, quamquam mirum in modum dicit, utrum Dativo an *Ablativo* casu accipiendum sit, hoc tacere interpretes neque Dacieriam versione sua explanare, pro Dativo honoris habet vel inscriptionibus sollemni, ut sit in honorem L. Aemilii Pauli. Et nos adiicimus, omnes libros veteres suffragari; ipsam structurae insolentiam incorruptae integritatis argumento esse aeque ac verborum collocationem iuxta *relata est* ante *Lud. funebr.*, non post, ut in Didasc. Adelphorum; et aptissime dici *referre*, *agere* ut ludos ita fabulam *alicui*, hoc est, *in honorem alicuius;* atque sane praeter varios ludos, qui idcirco vocantur funebres, imprimis gladiatorios, etiam theatrales, igitur fabulas in honorem clarorum virorum ad funera eorum condecoranda esse datos; et eodem spectare, quod in Cod. Vatic. inter scenicas ad Hecyram illustrandam imagines orator Prologi, L. Ambivius Turpio, pariter atque in imagine scenica Prologi Adelphorum, frondem cupressinam, funeris signum, manu teneat. Quae quidem res, si quo opus est, indicio esse potest, sicut ad omnes omnino universae antiquitatis ludos sollemnes singulas eorum partes, ita scenicos ludos non tam extrinsecus *ad retinendum populum,* quod Lindenbruchius ex illo Donatiani de Comoedia et Tragoedia Fragmenti loco ut misere truncato ita depravato adsciscit, fuisse annexos quam una cum pompa funebri magnificentissima (cf. Plutarch. Vit. Aemil. Paul. c. 39 et Liv. 31, 50) ad integra sollemnia sacra in honorem clari viri vita defuncti instituta ut et ipsos sacros et caerimonias quasdam religionesque pertinuisse. Sic quanta in omnes partes fuerit e. c. Megalensium religio, cognoscitur potissimum ex Cic. Or. de Harusp. Resp. 12.

Sed revertamur ad id quod maxime quaeritur. — Quae quum ita sint, quod ad Duebneri opinionem attinet, Consulum nomina posteriore aetate Didascaliis Terentianis ab aliena manu esse apposita, id certe ad Hecyrae Didascaliam, in quam mediam nescio quomodo illa irrepere maluerint, vix posse accommodari sub oculos cadit; atque hoc ipsum est quod tantum absit ut vereamur, ne Consulum nomina ad ceteras Terentii Didascalias pro additamentis spuriis

[illegible] Thebis [illegible] non aliam [illegible] relinqui, [illegible] quamquam [illegible] ipsam satis adfirmatam [illegible], quamquam iam pridem [illegible] a Caecilio indubitata censura probatam, tamen eo demum nunc primum accessisse, quod [illegible] et Didascalia et qui cum ea consentiat Donatus certo indicent et ex temporum [illegible] et ex ipsius comoediae comicique condicione non ita inexplicabile videatur.
